



XII, 14.

F. 150.

1.
2.
3.
4.
5.



Contenta.

1. M. Mart. Pfuntelii analecta historiarum de origine, patria, dignitatibus, familiae a Feilitzsch. Curiae Varisc. 1628.
2. Jof. Paul Oetold Predigt von der Beyfassenheit der weissen Geistlichen
diese nebst einem Anfang von den Verdiensten der Herren von
Feilitzsch um die weisse Kirche und Religion. Schwerberg 1761.
3. D. Matth. Jor G. Jobst Geistl. von Feilitzsch auf Dobrotitz
Leipzig 1606
4. Casp. Conr. Daserb G. Magdalenen Sibyllen, filiae Urban
Casp. von Feilitzsch. Jena 1635.
5. Wolff. Erhardi G. Dorothea Mariani gebornen von Feilitzsch,
vermählten von Darrell. Bayreuth 1662.

[Faint, illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, covering the upper half of the page.]



A N A L E C T A

HISTORIA- RUM, DE ORIGINE,

PATRIA, DIGNITATIBUS,

virtutibus, & rebus gestis nobilissimæ non modò,
sed etiam à multâ multorum seculorum memoriâ,
nomine ac natalibus majorum clarissimæ fa-
milæ à FEILITSCH:

*EX OPTIMIS QUIBUSQUE HISTO-
riographis, & iis tam veteribus, quàm neotericis,
conquisita & comparata, itémq; variis variarum questionum,
ad instruendum posteritatem oræ Vodlandicæ notitiâ
pertinentium, condimentis inspersis ac insertis,
in publicum emissa:*

AUCTORE

M. MARTINO PFUNTELIO, PLAVIENSI,
Vodlandico, jam vitam privatam agente, in pago
quodam Vodlandico, qui urbi *Olsnitio* confinis
est & conterminus, atq; à Fundatore *Bösenbrun*,
hoc est, *Bosonis* fons, dicitur.



CURIÆ VARISCORUM:

*Excusa typis Pfeilschmidis, anno salutiferæ incar-
nationis τδ λóγ8, 1628.*

*Ad Reverendum & doctissi-
mum Dn:*

**M. MARTINUM
PFUNTELIUM, ami-
cum suum haud vulgarem.**

Fortia magnorum memoras quia facta vi-
rorum,

Inclyta cum primis stemmata Feiltzschiaæ:
PFUNTELI, egregiè spartam, qua fungeris, ornas,
Teq; virum ostendis divitis ingenii.

Magnificus verè FELIX est FEILTSCHIUS ille,
URBAN-CASPARUS, sceptrum regens Patriæ:

Artibus insignis, virtute & sanguine clarus,

Comis item, doctis munificusq; viris.

Pangere pro meritis Tu laudes perge Bonorum,

Obscura & turbæ turpia facta malæ:

Sic Laudatorum Laudantis & omine nomen,

Clarum erit Eois Hesperisq; plagis.



*Christophorus Schleupnerus D.
Generalis Superintendens.*



**MAGNIFICENTISSI-
MO, NOBILISSIMO ET
CELEBERRIMO VIRO,**

natalium claritudine,
eruditione multijugâ,
existimatione maximâ,
famæ celebritate immortalis,
& auctoritate gravissimâ
conspicuo,

*DOMINO URBANO CASPARO FELICI,
amplissimorum simul & ornatissimorum Feudo-
rum trium, tribus primariis locis, videlicet Kûrbitz,
Sirba & Schwerkebach, ad Elistrum & Salam,
fluvios, adherentibus, adornato-
rum, Possessori,*

Jam illustrissimi & celsissimi Principis ac Do-
mini, Domini CHRISTIANI, Marchio-
nis Brandenburgici, &c.

*CANCELLARIO CUM PRIMIS MERITISSIMO,
Mecænati ac Patrono unicè co-
lendo suo,*

*τὸ εὐδαιμονεῖν καὶ χαίρειν,
ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.*



QUOD TERENTIUS
 & PLAUTUS, Latialium
 literarum Parentes, dixê-
 re, nihil esse tam difficile,
 quin querendo ac meditan-
 do peruestigari, facili-
 mùmque reddi queat, id, in-
 genuè fateor, verum est,
 ad calculos revocatis labo-
 ribus meis multiplicibus,
 quos, in indagando nobilissimæ familiæ Felicianæ
 ortu & origine, hætenus sustinui, ad id laboris susci-
 piendum admonitus.

Facilia queq;
 in principio,
 difficilia vi-
 dentur.

Etsi enim hæc materia facie ac specie primâ mihi
 uni videbatur Phænice (ut ajunt) rarior, ac inventu
 difficilima, deficientibus præsertim annalibus, unde,
 tanquam ex fontibus, hujus & id genus aliarum rerum
 difficilimarum enucleationes peti debuissent: attamen
 hujus tractationis difficultatem planè visus sum exor-
 buisse & exhausisse, non tam recentiorum, quàm vete-
 rum scriptorum sententias, vel potiùs opiniones totis
 (quod dici solet) conatibus excutiendo: id quod cuivis,
 hanc meam descriptionem qualemcumque lecturo & exa-
 minaturo, pervium existet.

Ego verò vel maximè cuperem, esse, qui hujus &
 aliarum familiarum nobilissimarum genealogias essent
 daturi simul & exhibituri plenas, perfectas, & omnibus
 numeris absolutas: quemadmodum, abhinc annos

paucos

paucos, ex historicis, non nemo, Terentiani Thraſonis inſtar, intolerantiſſimè gloriatus eſt, ſe familias nobiles quacunq; integrè ac plenè deſcripturum eſſe: quod tamen, cui cui modi fuerit, (prout ego ſentio) factu eſt impoſſibile, atque (quod proverbii loco dici ſolet) ad Calendas Græcas, futurũ, cum maiores noſtri, Germani, quibus Caroli magni principatu vivere contigit, ne γρὺ quidem de his, quæ Plutarcho τὰ προβεβιω- μέναι dicuntur, annotandum curarint, non tam per ignaviam, quàm per virorum doctiſſimorum penuriam.

Quapropter ſimus contenti qualibuſcunq; hoc in genere, deſcriptionibus: ſicut & ego, in hoc tractatu meo, non integram & plenam, de nobiliſſimâ FELICIUM noſtratum proſapiâ Romanâ, hiſtoriam: ſed duntaxat ejus micæ, ſeu potiùs anale- cta, non tam ſub meâ, quàm ſub alienâ menſâ, compara- ta, profero & exhibeo.

Has autem micæ qualescunq;, ob quas orator ruſti- canus eſſe, quàm hiſtoricus erudiſſimus videri malim, utpote qui, in hoc tractatu, ſine ullâ τω λεονεξία καὶ κενοδοξία, ficus ficus, ligonem ligonem (ut mihi ſer- mone tritum proverbium uſurpare, libeat & liceat) duntaxat appello, haſ, inquam, micæ qualescunq;, vobis, vir magnificentiſſime & nobiliſſime, Cancel- larie in primis meritiſſime, ſub veſtrâ ſolius men- ſâ potiſſimùm collectas, vobis, inquam, pro eo, ac debeo, in animi mei gratiſſimi, velut arrabonem, pignus &

Familias no- biles quas- cunq;, quas Vodlandia & Misnia, quaſi advenas, (fateo quodam tem- porũ, dicam, an hominum injuriis exu- latum abeun- tes, an caſu, an ſpontè trans- locatas ?) So- rabis, populis Henetis, eje- ctis, & prælio Ungarico, ad oppidũ Mar- tiſburgum, fi- nito, confe- ctòque, exce- pèrè, plenè deſcribere, velle, eſt pro- digio haud impar, haud abſimile.

Mundo sunt adhuc, ex Rusticis quidam, (dico quidam, non omnes) qui, perinde ut Gergeseni, suos ipsorum SUES plus, quam CHRISTUM & ejus Ministros diligant, ac illo nomine, finibus suis eos exire, cupiāt, eo ipso patefacientes & ostendentes, se esse indignos, quibus docendo serviatur.

τεκμήριον certissimum, ultrò offero, humilimè à vobis petens, ut eas Magnificentia vestra animo benevolo ac prompto recipiat, pariter & deinceps me meaque studia sibi, quanti quanti poterit, vel maximè commendata esse patiatur, cum ea, quasi Azanea mala, (quod τὰρὰ τὴν παροιμίαν ajunt) nonnulli plebeji, & ἄμοργι (dubium, ἄμοργι, an amari) pro animorum suorum amarulentiā, erga me, qui (DEUM testor, & cum veniā dico) quā in literis, quā legibus & institutis piorum, ad Spiritus Sancti ductum & arbitrium, subindè vixerim, hucusque cane pejus & angue, ob nullam noxiam, uno animo, uno corde, unā voce oderint: id quod mediusfidius, præ lachrymis, vix ac ne vix quidem dicere possum: sed tamen faciundum putavi, ut dicerem. Ut interim de me dicam nihil, qui (proh dolor) nihil, quod sit opera pretium, unquam fecisse videor.

Ex quo fit, ut prorsus nihil absit, quin jam, inter homines, sim & habear miserrimus, atque illo nomine dignus existimer, in quem jure torqueatur illud, quod proverbii loco dicitur: Canis peccatum suum dependit. Sed de his hæctenus: ad rem venio.

Postquam Magnificentia vestrae animum ad salutem meam hucusque propensum, promptum & alacrem, non dicam, degustasse: at perspexisse, at perspetum habuisse visus sum, non pro meis quidem mehercules meritis, quid prohibet, quominus, omnibus trium-

phis

phis Alexandri & Julii, Cesarum quantorum quantorum? anteponendi, amoris & favoris ejus vestigia certa, ne dicam expressa, quoquo me vertero, deinceps etiam, annis meis supremis, experiri liberum sit & concessum?

Pro quibus beneficiis, habeo polliceri M. V. tantum, quantum referre possum: possum autem referre quid? non gratiam mutuam, non opem mutuam, non officia mutua: sed gratias, sed laudes, sed preces serias & ardentes: quamvis nihil perinde fuerit in votis, quam ut ejusmodi beneficia potius reipsa, quam verbis rependere liceret, nisi rependendi vires me deficere cepissent: proinde M. V. subinde meam quamlibet exigua predicatione celebratam, DEO optimo maximo commendabo, eum rogaturus Magnificentiam vestram & ejus Ecclesiam privatam hic diu, in diurnam pace ac sanitate, sed illic eternum, in eternam pace ac sanitate, vivere, ut is jubeat. Ex Museo meo, 3. Decembr: anno 1627.

Magnificentiae vestrae

addictus,

deditus,

obstrictus,

M. Martinus Pfun-
telius.

LECTORI



LECTORI CANDIDO.



Icubi, præter expectationem & voluntatem auctoris, σφάλματα typographica fortassis irreperint, hæc lectori benevolo, siquo pacto potuerit, corrigenda relinquuntur : ea siquidem mutare auctori non fuit integrum, typographo ab eo, per benè longum intervallum loci, disjuncto.



Quòd



QUOD FAMILIARUM nobilium & illustrium origines atq; stemmata conscribere, sit integrum, id nec docti, neq; rectè sentientes diffitentur: tantum abest, ut, nobis, ad id faciendum, causas & rationes gravissimas deficere, dubitent. Id enim à *MOSE*, Prophetarum Coryphæo, factitatum esse, non ignorant: is siquidem initio Patriarcharū ortum & seriem: deindè *Judæ* posteritatē, ex qua *CHRISTUS*, ratione carnis, suam tracturus erat originem: præterea *LEVI* stirpem sacerdotalem, usq; ad adventum Messia, ordine perpetuo luculenter descriptam primus exhibuit, adjectâ ad eam Judaicæ gentis Regum & Judicum descriptione concinnâ.

Idem fecêre cæteri Prophetæ: siquidem, Prophetâ *Jeremiâ* finiente ac claudente historiam suâ, de *Rege Aprie*, à quo fuit internecioni

B traditus,

Genealogias conscribere expedit & licet: quod probant:

I.
 Exempla
 sacra.

I.
 Moses.

2.
 Cæteri Pro-
 phetæ.

traditus, suas statim historias orditur *Herodotus*, quem sequuntur *Thucydides*, *Xenophon*, *Diodorus*, *Polybius*, *Livius*, & post *Livium*, alii.

3.
Evangelistæ
& Apostoli.

Idem quoq; fecêre *Evangelistæ* & *Apostoli*, afflatu, æquè ac instinctu divino, tam ad dicendum, quàm ad scribendum historias sacras, compulsi: nam quicquid vel certi, vel cogitationis, de ortu, de vitâ, de rebus gestis *CHRISTI*, hominis, & *Apostolorum*, nec non de militantis *Ecclesiæ* statu, hucusq; habere licuit, illud omne studiis illorum acceptum referamus, necesse est.

I I.
Exempla
profana.

Idem fecêre *Judæi*, *Romani* & *Græci*, utpote qui suis ipsorum sumptibus & impensis aluerunt, in militiâ historicâ, viros exercitatissimos, à quibus familiarum quarumcunq; origines, incrementa, propagationes, mores, res gestæ & eventus consignati publicarentur.

I.
Judæi.
Euseb: lib: 1.
cap: 7.

Sic *Eusebius*, apud *Judæos*, familiarum præcipuarum genealogias, in templo Hierosolymitano, repositas & custoditas fuisse, commemorat: quæ monumenta tandem omnia *HERODES Magnus*, Ἡς κακίας χαρακτήρ, *Vulcano* dicavit, quòd metueret, ne quisquâ, & genere & nobilitate clarior ac antiquior, ipsi præferretur, cum non solùm extraneus;

sed

sed etiam ordinis plebeji esset, utpote cujus avus, in templo Apollinis, cujusdam Ethnici Sacerdotis ædituum egisset.

Sic *Romani & Græci*, in conquirendis, colligendis, & comportandis historiis ac genealogiis, ne utiquam incuriosi & frigidi fuere, ad id faciendum, Hebræorum, Ægyptiorum & Arabum exemplis incitati: hoc testificantibus genealogiis *Pomponii Attici, Suida, Hecatæi, Simonidis Melicertæ, & Acusilai*; quorum ultimus, referente *Suidâ*, stemmata descripsit, ex æneis potissimum tabulis, ab ipsius Patre fodiendo repertis: quæ tamen scripta, cum aliis multis antiquæ eruditionis monumētis, non sine studiosæ juventutis incommodo, pessum abiere.

Quamvis autem gens Teutonica, tam multitudine, quàm præstantiâ rerum gestarum, nullis, quantumvis potentissimis & celebratissimis populis, cessura videatur, sicut de eâ quidem poëta verissimè cecinit:

Armorum nunquam Germania victa labore:

Arma celebrandi victa labore fuit.

tamen plus, quàm satis opus, meritò doleamus, quòd Germani veteres negligentia verè supina, in explorandis & conscribendis genealogiis, ab Apostolorum temporibus, ad *Caroli*

2.
Romani &
Græci.

Germania caruit literis & viris doctis, ab Apostolorum temporibus, ad *Caroli Magni* seculum usq;

Initia Scholarum, in Germaniâ.

Magni seculum aureum usq; , Cretensium pigrorum instar, indormierint adeò, ut, quid ipsi, dictis seculis, fecissent, nos omninò præteriret & lateret; nisi eorum *κατάστασις* & statum nobis, Scriptorum Romanorum relatione fidei & diligenti, consequi licuisset. Quæ negligentia macula & infamia nefanda fuit demùm oblivione deleta, Saxonibus à CAROLO MAGNO devictis, & in Germaniâ, Scholarum vice, Monasteriis Cænobiisque; apertis, ex quibus, tanquam ex equo Trojano, postmodum omnis generis viri literatissimi, sumptibus, opibus atq; beneficiis Magistratus superioris, enutriti & sustentati, prodirent, collaturi multam operam & curam, in indagandas, inquirendas & cognoscendas genealogias, atq; veterum familiarum nobilium origines: quo in genere & studio, postmodò historici Germaniæ, spatio paucorum annorum, adeò efflorescere cæperunt, ut, ex eo tempore, Italiæ scriptores, cum historicis Germaniæ, perinde ut picæ, cum Lusciniis, certaturi viderentur.

II.
Necessitas
genealogiarum.

Præterea genealogias conscribi vel maxime opus est & oportet, ut inde omnis generis controversias difficiles ac dubias, de familiarum quarumcunq; ortu & progressu, dijudicare

atq;

atq; discutere, fas sit. Teste enim experiētiā, plus semel accidit, ut quidam veteratores, origine & sanguine nobilibus antiquissimis alieni, familiis, ortu, genere, virtutibus & rerum gestarum multitudine magnis, ingerere sese haud vereantur, Diaboli instinctu ac persuasu, ad spem bonorum & honorum amplissimorum rapti: ubi sanè præstigiis ejusmodi, ad amussim, obviam ibitur, pervestigatis & excussis familiarum nobilissimarum genealogiis.

Sic quidam *Ἐσθναυ* & veterator, superioribus seculis, cuidam Domino Plaviensi, in Syriā, post bellum, contra Sarracenos, ibidem illatum, amisso, fuso & sepulto, staturam, vultum, vocem, colorem & mores similis, ac de ejus agnatione & hæreditate Vodlandicā certior factus, ejus personam fingebat, ac illo nomine illius ditionem, in Vodlandiā appetitam, occupabat: cujus quidem præstigiæ & imposturæ fuere detectæ, loco, ubi DOMINUS PLAVIENSIS occisus fuerat & sepultus, aliquot annis post, invento: sed (ut ita dicam) rectius, melius, facilius & citius detectæ fuissent, genealogiarum *Ruthenicarum* inspectione & contemplatione, si modò earum copiam posteris fecissent majores.

Artificium
Diaboli, sub-
ornantis.

Ψευδοποιόν,
in familiā
Ruthenicā.

Hinc apparet atq; extat, quantum familiis nobilibus creetur periculi, si à Scribendis genealogiis abhorreant: quod tamen *δήλημα* propulsari, vel maximè refert, non quòd, per genealogiarum usum, familias nobiles & gloriâ & honoribus amplificatū iri, sit existimandum: sed quia famæ, honorum, & nobilitatis naufragia fugiuntur & evitantur, Diabolo, τῷ ἐπιχαρειακῷ, cum organis suis, detrimenta perniciosissima genealogiarum fugientibus struente.

III.
Utilitas
genealogia-
rum.

Cæterùm quis non videat & noverit, nos ad conscribendas genealogias instigari usibus insignibus, qui, quasi lumina quædam, elucent, nobis iram, simul & gratiam Dei, in familiis nobilibus, examinaturis & pōderaturis? Conspiciuntur enim, in omnibus familiis, exempla vel iræ, vel gratiæ, vel benedictionis divinæ: quibus exemplis rectè cognitis & introspectis, posteri moveantur, necesse est, & ad fugienda scelera, & ad gratias agendas DEO, pro concessis donis & beneficiis, & ad insistendum majorum, omni laude dignorum, vestigiis. Undè mihi non minus verè, quàm piè dixisse videtur *Ovidius*:

Excitat

*Excitat auditor studium, laudat aq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.*

Etsi verò PAULUS APOSTOLUS studium historicum prorsus improbare & damnare videtur, interdicens discipulis suis, Timotheo videlicet & Tito, fabulis & genealogiis, nunquam finiendis, ut ne attendant, cum inde contentiones & pugnae proficiscantur inutiles, ne dicam supervacaneas: attamen nobis mentem PAULI, & ejus interdictionem studiosè & accuratè inuentibus, liquidò patebit, ab eo nec studium historicum, nec genealogias certas & manifestas: sed nugas disputationum & contentionum, de genealogiis incertis ac dubiis, dūtaxat taxari & prohiberi, ἀρχαίως sublatis, atq; multorum nobilium serie, non minus, quàm origine verà certâq; ex hominum animis ejectâ.

Quòd si PAULUS, APOSTOLUS, interdictis suis prohibitoriis, genealogias quascunq;, simpliciter, & citra ullam exceptionem, explosas, damnatas, & ad Orcum relegatas cupisset, ibi sanè seipse suo ipsius gladio, suo ipsius telo jugulaturus deprehenderetur, eò, quòd suū ipsius curriculum, ad leges & circumstantias historicas, passim, in suis epistolis, contextum & astrictum, ante mundi totius oculos & iudicium, statuisset:

Obiectio.

1. Tim: 1. v. 4.

Tit: 3. v. 9.

Paulus loquitur de fugiendis genealogiis incertis & dubiis: cujusmodi erat genealogia Herodis.

statuisset: tum quòd *MOSEN* & *Evangelistas*,
 τὰς ἰσορροπίας τὰς, (id quod longè gravius es-
 set) tectè suggillaturus videretur & crederetur:
 sed hoc de tanto Apostolo somniare abstine-
 mus, pietate Christianâ prohibiti.

Quapropter his ita se omninò habentibus,
 utiq; neminem esse, puto, qui me, in hoc tra-
 ctatu, non historicum, sed duntaxat analecten
 acturum, & *nostræ familiae Felicianæ nobilissimæ*
 originem persequi conaturum, vel reprehen-
 dere, vel (quod proverbii loco dici solet) car-
 bone notare aulit.

Propositio &
 dispositio hu-
 jus tractatus
 analectici.

Meam autem hanc descriptionem analecticâ,
velut in transitu: sed tamen ordine decente tra-
ctabo, illigaturus & inclusurus eam locis præci-
puè quinq;, in quorum primo, de ortu & genere
nobilium Felicium: in altero, de eorum transla-
tione, ex Italiâ, in Germaniam: in tertio, de eorû
honoribus, seu generibus vitæ: in quarto, de eo-
rum moribus: & tandem de eorum rebus gestis,
agere ac dicere placet.

I.
 ORIGO
 Nobilium
 à Feilitfch.

Equidem certè, à primo, statuo & judico,
& ita statuo atq; judico, non ut meo solius ju-
dicio staturus, sed ut, quicquid ego dixero, de eo
facere judicium judici lectori permissurus vi-
dear: statuo, inquam, & judico, nostrates Felices

Vodlandicos

Vodlandicos patriâ non Germanos, nec Henetos: at Romanos, at genere & origine nobiles atq; claros esse, nobilitatis fonte, vel ortu hausto à nobilibus Romanis, iisq; antiquissimis, qui quondam, in urbe Româ, Felices dicti, & (uti tradit Raphaël Volaterranus, historiographus Romanus) stirpe atq; sanguine, FABIORUM familiae celebratissima, antiquissima ac illustrissima, proximi fuere.

Habuit enim ROMA multas originis antiquissimæ simul & præclarissimæ familias, inter quas, nobilissima *FABIORUM* & *FELICIUM* familia *συνσηνης και αυδαμου*, semper clarissima & amplissima reputari, pariter & existimari obtinuit: quemadmodum de hujus familiae nobilissimæ plantulâ, seu surculo primario, qui ex vero nomine *Felix* dictus, & olim Judææ Præfectus fuit, à *Claudio, Imperatore*, illuc Judæis imperatum ablegatus, honorificè scribunt & sentiunt *Lucas, in actis Apostolicis*; item *Josephus, Eusebius, & Cornelius Tacitus*.

Et certè hoc ita esse, confirmant inditia & argumenta sequentia, haud vana & frigida: sed probabilia, & quasi verisimilia.

Etenim id testatur primò cognomen *Feilitsh*, quo hæctenus, in tractu Vodlandico, superiori

In Anthro-
pologiâ, lib:
16. fol: 179.

Fabii & Felices fuere Romæ, urbe Italiae antiquissimâ, nobiles *ομογενεις και αυδαμου*.

Act: 23.v.26.

24.v.22.

Joseph: libr:2:
cap: 12. de bel-
lis Judæorū:
Item lib: 20.
c. 9. de factis
antiquis.

Euf: l.2. c. 20.

Tac: l.12. f 170.

Felices esse
nobiles Ro-
manos, testa-
tur,

C

videlicet



1.
Eorum co-
gnomen lati-
num.

Cognomina
nobiliū Vod-
landicorum
non sunt uni-
usmodi: sed,
pro deriva-
tionis ratio-
ne, varia.

videlicet & inferiori, familia *Feliciū* nostratiū clarissima fuit conspicua, imò fuit ejus celebri-
tate etiam absentibus & exteris cognita: siqui-
dem illud nō est Germanicum, nec Henetum:
sed verè latinum, nomini FELICIUM, nobi-
lium Romanorum, propriè congruens ac con-
veniens: ac proinde stirpis hujus vetustissimæ
& honoratissimæ conditorem veterrimum,
eūmq; verissimum arguens atq; denotans: id
quod equidem nemo, nisi linguæ latinæ rudis
prorsus ac imperitus, (nihil dicā gravius & du-
rius) pernegabit, nedū, ut vocis hujus explica-
tionem certissimā & idoneam eludere conetur.

Hoc autem planiūs atq; planiūs fieri, cer-
tum est, origine cognominum, quæ cum laude
& honore gerunt nobiles Vodlandiæ quicunq;
patefactâ, pariter & considerata: quippe ea
sunt vel Sorabica, vel latina, vel germanica: ac
proinde, inter se, pro significationis ratione, vel
maximè diversa ac dissimilia.

*Etenim cognomina Sorabica, seu Heneta, cujus-
modi sunt, Beülwik / Pölnik / Planik / Seid-
wik / & id genus alia, non sunt nobilibus Vod-
landicis quibusdam imposita & indita, ortus &
sanguinis ratione, quasi ipsi ex gente Henetâ
provenerint: (hos enim ad unum omnes san-*

guine

guine Germanico genitos esse, nemo utiq; est, qui vel dubitet, vel contradicat) sed acceperunt & asciverunt illa, pro locorum, seu pagorum ratione & respectu, quos ipsorum conditores primi, seculis superioribus, ex Cæsarū Germanicorum concessionibus, vel gratis, vel, ob fertiva præstita, acquisitos, possidere ceperunt.

Cetera verò cognomina, videlicet Reizenstein/ Rabenstein/ Seilsdorff / Röder/ Zetta/ Possack/ & consimilia, in Stein & Dorff desinentia, non sunt Sorabica, nec latina: sed germanica, utpote quibus, citra dubitationē ullam, tam pagorū ὀμωνύμων, quàm familiarum nobilissimarum conditores primi designati exprimuntur, qui fuerunt, dubio procul, (ita fert mea solius opinio) Richardus, Rabanus, Julius, Roderico, Dedo, Possidonius.

Ut igitur quorundam nobilium Vodlandicorum cognomina germanica non commonstrant conditores, præterquam germanicos: ita cum nostrorū nobilium FELICIUM cognomē sit latinum: proinde si eos origine non Romanos, sed Germanos esse, dicerem, non, dico, essem veritate ipsâ veracior: sed vel Parthis & Crentensibus longè mendacior, vel talpâ cæcior.

Deinde nostros nobiles FELICES esse origine & sanguine Romanos, testatur quoque

Cur quibusdam nobilib9 Vodlandicis sint cognomina Heneta.

Quid denotent cognomina nobiliū Vodlandicorum Germanica.

Nomen pagi Seiltzsch.

Petrus de Columnâ natus Romæ de gente Columnniorum illustri.

Origo Comitum Suevicorum de Hohenzollern, & Marchionum Brandenburgicorum.

Pagi Vodlandiæ, Sorabica, seu Heneta, nomina referentes sunt à Sorabis primitiis conditi: horum.

nomen notissimi pagi *Seiltsch*, qui ab *urbe CURIA*, metropoli Vodlandiæ superioris, vix miliare dimidium abest, & à conditoris nobilissimæ stirpis Felicianæ posteris, avitæ sedis instar, adhuc tenetur ac possidetur: quippe illo nomine nihil aliud, nisi solus fundator pagi prædicti, cum primis verò conditor Romanus stirpis ac gentis *Felicianæ* per antiquissimus designatus exprimitur: haud aliter, ac, seculis ab hinc quingentis, quidam nominis ac dignationis maximæ nobilis Romanus, cui nomen fuit *PETRO DE COLUMNA*, (*à quo comites Suevicos de Hohenzollern, & Marchiones Brandenburgicos propagatione verâ descendere, demus & concedamus, quod historici ferè pleriq; sibi concedi volunt*) quidam, inquam, nobilis Romanus magni nominis, *nomine Petrus de Columnâ*, arci à se constructæ, in Sueviâ, nomen, à cognomine suo deductum, in testificationem sempiternam suæ originis & familiæ Romanæ celebratissimæ, quæ est *COLUMNNIORUM*, indidisse fertur.

Quemadmodum Sorabi, populi Heneti, Hermunduris & Mysis Europæis, colonis ac incolis veteribus Vodlandiæ & Misniæ, sede ac possessione avitâ pulsus & exturbatis, plerosq;

pagos.

pagos Vodlandiæ & Misniæ, (*quorum nomina pleraq; in itz, Un & In desinunt*) in sui memoriam & admirationem perpetuam, ceu primi conditores & auctores, condere sunt aggressi, quibus, ante Soraborum irruptionem, *Vodlandia* prorsus caruit, *Hermunduris* habitantibus, non in continuis, sed in discretis domiciliis, prout refert *Tacitus*: ita quoq; nobiles, Sorabis rursus expulsis & exterminatis, in Vodlandiam nostram, vel bellorum occasione, vel gubernationis ratione, vel ex dignitate, vel ex gratiâ, translati, pagos, & quasi domicilia continua (*veluti sunt Seiltzsch / Buna / Planitz / Zetta / Döla / Kodersdorff / Seilsdorff / Posseck*) in sui memoriam perpetuam, de suis ipsorum nominibus, extruere studuerunt, ut hinc suis ipsorum posteris haud esset obscurum, unde, & à quibus genitoribus primis suas duxissent origines.

Et quæ jam dicta sunt de Sorabis, mihi uni sanè conjecturam afferre videntur, (conjecturam dicam, an documentum, an utrunq; potius?) mihi, inquam, conjecturam & documentum afferre videntur, de origine & antiquitate duarum, à Sorabis conditarum, urbium, PLAVIÆ videlicet & OLSNITII, quo tempore ambæ (ut hoc gratiâ

quidam, ut Plavia & Olsnitium, in urbes demùm abiêre, Sorabis expulsis. Cateri verò pagi & urbes Vodlandiæ, nomina Germanica, referentes, sunt demùm conditi à majorib9 nostris, post ejectos Sorabos.

Tacitus de moribus Germanorum, fol: 413.

Origo & antiquitas duarum præcipuarum urbium Vodlandicarum, Plaviæ videlicet & Olsnitii.

Verifimile est, quod Plavia & Olsnitium uno & eodem tēpore fuerint exadificate, simul atq; sæpè dicti populi Heneti Vodlandiam cū imperio obtinere ceperunt. Nam Sorabi, pulsus Hermūduris, domicilia quidē invenerunt: sed discreta: sed paucissima. Quapropter sedes ac domicilia plurima, quæ hominū multitudini sufficerent, cōparare, imò etiā collocare habuerunt opus.

Pagi & urbes, à Sorabis conditi, sunt

vetustiores pagis & urbibus, nomina Germanica referentibus, utpote qui demum extrucepti fuere, Sorabis depulsis. Unde de cæterorum oppidorum Vodlandicorum, nomina Germanica referentium, origine & antiquitate (qualia sunt Adorff / Newkirchen / Schönegg / Fatsenstein / Zewen / Uwerbach / Lengensfeld / Ralchensbach / Eisterberg / Pausa / Besell) citra negotium, fieri potest conjectura.

Patria mea, quæ est Plavia, breviter ac strictim attingam) quo tempore, inquã, amba forsità sua ceperint initia: quod utiq; augurabimur, conjectis nostris oculis in illud temporis punctũ, quo Sorabi pulsus colonis veteribus, qui (ut historicorum classicorum fama est) fuerunt Hermunduri, Vodlandiam nostram occupare, non autē occupare solũ, sed & colere ceperint. Nobis autē dantibus, largientibus ac cōcedentibus, id quod, ex optimis quibusq; historicis, ferè pleriq; sibi concedi cupiunt, Sorabos in Vodlandiam irrupisse, circiter annum CHRISTI sexcentessimum, Heraclio Imperatore, audire, pariter & nosse quilibet habet, quid sentiat, statuatur, credat, operã tamen observationi huic non strictè, non præcisè: sed civiliter datã.

Ut igitur nomina Sorabica (redimus ad id, quod instituimus) plerisq; pagis & urbibus Vodlandicis indita, produnt cōditores veteres, qui Sorabi nominari consueverunt: ita quoq; nomine pagi *Zeitisch* conditorem *ὀμῶνυμον*, eumq; non germanicum, sed Romanum referri, notius est, quàm ut plura, in id, verba sumi oporteat.

Præterea

Præterea nobilium familiarum Vodlandicarum origo vera, vel in *Germaniâ*, vel in *Galliâ*, vel in *Hispaniâ*, vel in *Italiâ*, vel in cæteris terræ partibus, posteris monstranda est, cõpertum ipsis ut sit, ex qua gente, & ubi locorū nati sint & orti, cum *Vodlandia*, nostra nobiles suos hodiernos, ad unum omnes, non produxerit: (exceptis paucis, iisq; planè novis) sed eos vel alicundè translatos, vel aliis ex locis ac regionibus variis, casu & fortunâ non minus, quàm fato divino dimissos, suscepit.

Jam verò nostrorum FELICIUM *Vodlandicorum* familia, antequam sedibus paternis commota, secesserit in Germaniam, in nullis vel *Germania*, vel *Gallia*, vel *Hispania* angulis, nisi in solâ *Italiâ*, monstrari potest.

Unde qui de nostrorum nobilium FELICIUM origine Romanâ detrahendi sitim sibi fieri passus fuerit, næ is mihi perinde facturus videbitur, ac si, soli splendidissimo lumen inesse, prius diffiteatur, postea nihilo plus agat, quàm si det operam, cum ratione, ut infaniam.

Porro nihil est, quam obrem, hoc loco nostrorum FELICIUM τὴν προθυμίαν καὶ ὄρεσιν, hoc est, impetum, ad colendum pietatem & virtutes, tum ad discendum artes &

linguas,

21.

3.
Distributio,
absurdo figura-
rata.

Nobiles Vodlandiæ hodierni sunt alienigenæ, æquæ ac cæteri incolæ.

4.
Morum Felicianorum
suavitas, &
εὐήθεια.

linguas, verè heroicum ac igneum silentio prætereamus: nec causa est, cur eorum mores, cultu, politurâ, moderatione, modestiâ, humilitate, atq; urbanitate insignes, supprimamus: hæc siquidem omnia, de eorum origine non Germanicâ, sed Romanâ haud obscurè concionantur, collatis & comparatis, Italorum & Germanorum ἐτεροφύκτας ac moribus, inter se, plurimum distantibus.

Itali & Germani sunt moribus dissimiles.

Etenim hæc omnia ad vivum (ut vetus verbum usurpem) resecta, utriusq; regionis populos, velut in mundo duplici, eoque separato & evidenter differente, natos, tam εὐφύκτας, hoc est, naturarum, ingeniorumq; bonitate, quàm κρᾶσι, seu temperamentis, inter se differre, luculenter ostendunt: non secus, ac utraq; regio soli ubertate longissimè differunt ac dissident.

Cum igitur naturæ sequatur semina quisq; suæ: atq; è squillâ (quod dictum in ore omnium versatur) haudquaquam nascatur rosa, itémq; mores familiæ Felicianæ, perinde ut plantæ, ad Italorum σχέσις, habitum, naturam atq; temperamenta respondeant, quisnā *nostrates nobiles Felices* origini, memoriæ atq; honoribus Romanis, citra scelus & morsum, vel potius, citra injuriam & contumeliam, exempturus esset?

Cæterum

Cæterùm quòd FELICIUM familia, olim, Romæ, semper clarissima & amplissima fuerit, testatur primùm FELICIS exemplum, quem *Claudius, Imperator*, Româ Jerosolyamam, temporibus Apostolorum Judæos gubernatum miserat, præter *Evangelistã Lucam, Josepho, Eusebio, & Cornelio Tacito* fatentibus: idem dehinc probatur exemplis martyrum quadraginta, qui ex hac nobilissimâ stirpe nati, sanguinem suum, non de divitiis terrenis, nec de patris sceleribus: sed de solo CHRISTO & ejus verbo, (*prout scribit Raphaël Volaterranus*) Romæ fuderunt, Pontificibus ibidem in eos, & ejusdem farinae confessores, fune, ense, non autem fune & ense modò, sed vel magis igni sævientibus: idem deniq; confirmat cœmiterium quoddam, quod, in urbe Româ, BASILICÆ FELICI, à fundatore sic cognominatæ, in viâ Ardeatinâ, sit contiguum: quemadmodum hoc ab eodem *Raphaële Volaterrano* proditum legitur.

De hujus gentis *Felicianæ* antiquitate, non est, quòd verborum ambagibus utar, quia, ex lusu, seu certaminum Trojanorum libro (ut vocant) tantundem apparet, nostrates *Felices Vodlandicos*, abhinc annos trecentos, &

Claritas & antiquitas gentis Felicianæ patent:

I.

Ex exemplis.

In Anthropologia libro 16, fol: 180.

In Geographiâ lib: 6, fol: 62.

2.

Ex libro lusu suum Trojanorum.

Furnago

D

annis



annis aliquot post, adiuise lusus Trojanos: & verò nobilium nullus, ad ejusmodi lusus, seu certamina Trojana erat aspiraturus, nisi qui quatuor atavos recensere ac probare valeret: id quod à nostris FELICIBUS, (quod sine dolo dicam) ad votum, fuit præstitum, & quidem ita fuit præstitum, ut ipsi, in quatuor lusibus Trojanis, cum honore, non recepti, & admissi solùm; sed etiam eorum probationes justæ ac debitæ, citra contradictionem ullam, fuerint approbatæ.

Unde seculis, ad atavorum quatuor originem, infallibiliter demonstratam, supputatis, nihil obstat, quin, nobilissimam gentem *Felicianam*, tempore primitivæ Ecclesiæ, in *Italiâ*, & quidem *Roma*, honoribus maximis, non autem honoribus maximis tantùm, verùm etiam gloriâ & auctoritate gravissimâ claruisse, statuamus.

3.
Ex Calen-
dariis.

Quòd si quis, de hujus gentis antiquitate, adhuc videatur dubitaturus, is, Calendariis inspectis & investigatis, reperiet, diem decimum quartum Januarii FELICI, qui fuit Pontifex Romanus, ideò assignatum fuisse, ut is quotannis, in Papatu, dicti *Felicitis* memoriæ recolendæ gratiâ, peragendis rebus sacris

attribue-

attribueretur: quod nominis, non hoc demum anno, quo à multis persuasus feci, ut hæc analec-ta, ut ut sint à me collecta, in lucem prodirent, sed multis antè seculis, in calendarium fuisse importatum, testis locuples est Cifiojanus.

Quòd deniq; nobilium à *Feilitzsch* & *Zed-witz* eadem hæctenus fuerunt insignia, est ostentui, est item inditio probabili, quòd nobi-les à *Zedwitz*, cum *Felicibus*, sint ejusdem ori-ginis, ac proinde, inter se, non, nisi solis cogno-minibus distent: id quod nemini absurdum dictu, siue auditu videatur, cum *illustres ac ge-nerosi RUTHENI*, Barones, in hac viciniâ, cla-rissimi, cum Dominis *Plaviensibus* & *Weiden-sibus*, fuerint, ratione sanguinis, unius & ejus-dem originis, aliàs cognominibus & gradibus dissoni, immò verò, inter se, plurimum ac prorsus *dis dià τασών* differentes.

Quam opinionem meam, ad quam tamen neminem adire jubeo & cogo, confirmat ami-citia & conjunctionis necessitudo, quæ, inter familiam utrâq;, *Felicianam*, videlicet, & *Zed-witzianam*, hæctenus semper fuit adeò gravis, adeò arcta, adeò constans, quasi ambæ sangui-nis ratione perpetuò fuissent conjunctæ.

Hucusq; de primo loco: ad alterum, nunc festinat & properat animus.

Nobiles à
Feilitzsch & *Zed-
witz* sunt, pro
ratione inli-
gnium, unius
& ejusdem
originis.

II.
De tempore, quo Felices, ex Italiâ, in Germaniâ translati fuerint.

O Riginē enim verâ nobilium FELICIUM investigatâ, cognitâq; , consequi videtur, ut doceamus, quo tempore hi præstantissimi & vetustissimi nobiles Romani, Româ, quasi sede patriâ & avitâ, relictâ, se receperint in Germaniam: sed hoc fortassis indissolubilis gryphus, & (ut dici solet) nodus Herculanus esse videtur, deficientibus vel maximè nos annalium monumentis, imo etiam antiquitatis documentis, unde nobilitatis Felicianæ Vodlandicæ memoriam fermè intermortuâ & sepultam, simul &, ad expediendum atq; solvendū hunc nodum difficilimum, & (audebon' dicere?) inextricabilem, requisita, necessaria, exugere, neq; modò exugere, verùm etiam elicere, atq; eruere liceat, vel dicam etiam, libeat. Ne autem nodum (quod in proverbium usq; celebrari consuevit) in scirpo quæsiturus, ac potiùs hunc locum relicturus videar inexpertum, ne dicam inexplicabilem: rei hujus dubiæ multùm, diuq; momento meo cogitatas & ponderatas circumstantias, cum lectore candido, benevolo, atq; nihil non in partem dexteriorem arrepturo, communicare haud gravabor.

Opiniones tres, de translatione Felicum, ex Italiâ, in Germaniam.

Etenim cum opiniones & sententiæ multæ, de nobilium FELICIUM, & aliarum fami-

liarum

liarum multarum, ex Italiâ, in Germaniam, translatione, variare videantur, quibusdam hujus exitus DRUSUM: nonnullis CAROLUM MAGNUM & HEINRICUM AUCUPEM olim Cæsares Germaniæ potentissimos: aliquibus tandem Paschalem ejus nominis secundum, Pontificem Romanum, auctores citantibus & facientibus: proinde illas, in nostræ familiæ FELICIANÆ gratiam & honorem, examinari ac enucleari, refert.

Etenim cur DRUSO nostrates nobiles FELICES, ex Italiâ, in Germaniam deportandi facultatem adimere placeat, causæ incidunt gravissimæ, quòd videlicet DRUSUS Vodlandiâ nostram nunquam attigerit, morte repentinâ, sylvis in hercyniis, (prout ex Strabone colligitur) præpeditus: quòd item tota VODLANDIA, id temporis, propter deformitatem admodum sylvosam, non autem propter deformitatem sylvosam tantum modò, sed etiam propter urbium, pagorum, ac ædificiorum quorumcunq; inopiam, ad incolendum, & inhabitandum fuerit prorsus inhabilis & inculta: nisi quòd ab incolis paucis, quos Tacitus & Julius Cæsar, qui viri & quanti? Hermunduros appellant, ad morem & formam Carbonariorum

Rejectione primæ opinionis.

DRUSUS nō adit Vodlandiam: nec Vodlandia de Druso: sed, multis post seculis, de Præfectis Germanicis undè orti sunt Dni. RUTHENI, sic demum, ex depravatione nominis Præfecti, dici cæpit: siquidem ante Præfectorum Germanicorum adventum, nūcupata fuit Sorabia, Sorabis eā ferme, per 40 annos, occupantibus & possidentibus.

D 3

& Sylvi-

Auctores & Fundatores pagorū Vodlandicorum, nomina Heneta referentium, sunt Sorabi, populi Heneti.

Initia pagorum Vodlandicorum, nomina Heneta referentium.

Versus, in arcem Vodburgam relati, sunt fabulosi, & à veritate historicâ alieni.

Arx Vodburga, urbi Olsnitio confinis, non à Druso: sed à Dominorum Ruthenorum majoribus,

& Sylvicultriciū, existimatur, ac pro certo creditur inhabitata. Constat enim sibi, in hac parte, historicorum quorumcunq; diligentia memorabilis, quòd VODLANDIA & MISNIA à Sorabis, populis Henetis, sint duntaxat pagis & vicis rusticis qualibuscunq; primitus ornari cœptæ, Hermunduris & Mysis Europæis indè ejectis & extrusis: cui proposito figendi nova domicilia, non quidem distincta & discreta, qualia Hermunduri & Mysi, teste Tacito, construenda curârint; sed contigua, scriptores classici certa initia, non tam strictè & præcisè, quàm civiliter destinant, videlicet annum CHRISTI sexcentessimum: quo tempore Heraclius imperium Romanum tenuisse ac gubernâsse legitur.

His igitur ita se habentibus, exploduntur meritò nugæ eorum, qui fundamentis certis destituti, nec non versibus fabulosis, vel dicam etiam, superstitionis, in arcem Vodburgam relatis, innixi, garrunt, DRUSUM se huc ad Vodlandiam nostram appulisse, ac ibi mansionem temporariam fecisse, arce Vodburgâ constructâ: quam fabulam, dubio procul, decantavit quidam Monachus, non ab historiis veris; sed fabulis anilibus instructus.

At verò

At verò quidni hanc fabulam, fabulæ anili haud absimilem, citra ullam controversiam, à Monacho quodam, historiarum & antiquitatis nescio, versibus sequentibus mandatam & inclusam, conjecturâ lector ut informaretur, huc attexere juvaret:

*Castra locans, DRUSUS, hîc prætoria nomina
monti*

Fecit, posteritas servet ut ista sibi.

Præterea haud scio, an ne sententiam in alteram sit adducturus quispiam, CAROLO MAGNO & HEINRICO AUCUPI, olim Cæsaribus nunquam sat laudatis, FELICIUM nostratium translationem adscribi oportere, ut credam cum nullus sit tam impudens, tam temerarius, tam crudelis in vitam suam, qui, Sorabis oræ Vodlandicæ possessione quadringenâ nondum planè depulsis & ejectis, ad dira furiarum loca, plena metus, plena timoris, plena tremoris, plena periculorum capitalium, qui, inquam ad dira furiarum loca, tanquam ad laqueos lupinos, (quod est in proverbio) deportari, & ejusmodi hostibus validis, feris, immanibus & importunissimis vel inferri cupiat, vel se patiatur inferri.

abhinc annis
amplius sex-
centis, de-
mum fuit
condita.

z.
Rejectio opi-
nionis secun-
dæ.

Quo tempore hodiernorum habitatorum majores sint in Vodlandiam infusi.

NB.

Vodlādia fuit olim Abbatiae Quedlinburgicae pars haud postrema, ab Henrico Aucupe eò loci relata, id fatente Alberto Crāzio.

Dominorū Ruthenorum majores Vodlandiam acceperunt regendam non a DRUSO: sed demum ab Henrico Aucupe, prout refert Cranzius lib:9.c.33.

Origo Dominorum RUTHENORUM, Baronum, in Vodlādiā, celeberrimorū.

Imperator Otto primus, idemq; magnus.

Et si verò Rheni accolæ, Bavari, Franci, cum Hermunduris & Myfis Europæis, antea à Sorabis paternâ sede pulsus, Misniæ & Vodlandiæ rursus sunt potiti, CAROLO MAGNO cum Witekindo, quondam Duce Saxonum Achilleo, confligente, nec non Soraborum partem maximam subigente, edomante, & ultra Albim, fluvium, detrudente: postea Henricus Auceps, Imperator, gentis Sorabicae, in Vodlandiâ, delitescens reliquis Præfectos quatuor, (id quod ex Alberto Cranzio, olim proximo optimis quibusq; historicis, apud Saxones, scimus) viros, Patriâ Romanos, at genere nobiles, at origine ex stemmate COLUMNIORUM celeberrimo prognatos, præfecit Duces & Rectores, à quibus descendunt Domini RUTHENI, Barones, in hac viciniâ, clarissimi: tamen, quia partim stabulum Sorabicum (quod accipi quasi dictum injuriosè, nolim) tunc omninò purgandi & averruncandi potestas videbatur recisa, id testamentum reddente Episcopatu CIZENSI, ab OTTONE Casare, ejus nominis primo, quem primum, inter Imperatores, sanguine Saxonico genitos, & cognomine Magni revera dixeris, atq; verè dici, concesseris, scio, si ejus virtutes ac res

gestas

gestas excusseris, id, inquam, testatum reddente
Episcopatu Cizensi, ab Imperatore Ottone primo,
pro reliquiis gentis Sorabicae, fundato; partim,
in hac colonorum novorum in Misniam &
Vodlandiam deportatione, locorum, non in-
geniorum mutationem videmus & reperimus:
inditia verò, signa, & notas non videmus &
reperimus, unde conijcere, decernere, ac pro-
nunciare fas sit, *nostrates nobiles FELICES, cum*
modò nominatis illustribus & generosis Dominis
RUTHENIS, in Vodlandia, sedes suas figere
cæpisse: fit, ut hanc opinionem eâ facilitate,
qua asseritur, rejiciamus.

Mihi deniq; fit verisimile, nostrorum no-
bilium FELICIUM translationem & abitum
ex Italiâ incidisse in fugam PETRI DE CO-
LUMNA, in quam ipse conjectus fuerit, de
bellis duobus, in Papam, Paschalem ejus no-
minis secundum ab isto intensis. Cum
enim Petrus de columnâ electioni Paschalis se-
cundi, consultore & hortatore RICARDO,
Comite Campani, resisteret, ac, aliquot nobi-
lium Romanorum auxiliis & subsidiis arreptis,
oppida quædam, quæ Pontificiæ ditionis erant,
occuparet, atq; à Papâ prædicto victus & fusus,
nec non paternæ hæreditatis castellis spoliatus,

3.
Opinionis
tertiæ asser-
tio.

Cur Petrus de
Columnâ, cum
aliquot nobi-
libus familiis,
Româ sit eje-
ctus.

Peucerus lib :
5. Chronico :
fol : 45.

de recuperandis sedibus ereptis, nova moliretur bella, tandem ipse à Papâ sæpè nominato, cum multis familiis nobilibus, fortâsis bellorum & periculorum sociis, Italiâ pulsi, se pro exulibus agere cæperunt.

Ex eâ fugâ, dicitur hic COLUMNUS, ad Imperatorem Germaniæ, Henricum ejus nominis quintum, venisse, atque, impetratis oppidis & portoriis aliquot, arcem, in Sueviâ, condidisse, quam, ab amisso, vel potiùs erepto castello patrio, vocârit ZAGAROLLAM, quæ postmodùm depravatione tolerabili ZOLLERN nominari cæperit.

Philippus Melanthon, lib: 4. Chron: fol: 204. in historiâ Lotharii, Imperatoris.

Majores Felicium Vodlandicorum, videntur in Vodlandiam trāslati, tempore Henrici quinti, Imperatoris.

PETRO igitur DE COLUMNA, cum aliquot familiis nobilibus, Germaniam adeunte, quæsitum latebras, tutelam & receptum, interierat eo ipso tempore, in bellis HEINRICORUM, Cæsarum, funestissimis, flos & nucleus Principum, imò etiam nobilitatis Germanicæ, ita ut, id temporis, nulla pars Germaniæ supereset, quæ Dominos & Gubernatores suos non mutâset. Undè cum Hein-

ricus quintus, Imperator, & ejus successores, abhinc annos fermè quingentos, Principes & nobiles alios, in vices & loca Principum & nobilium cæsorum, substituerent, religio

nobis

nobis non est, quominus, in hac mutatione fatali, (quam utiq; opinionem animo libenti remittam, modò si eam historiâ convulsum iri, videro) nostram quoq; FELICIUM familiam nobilissimam, cum parte multâ familiarum præstantissimarû, in utroq; tractu Vodlandico, superiori videlicet & inferiori, possessionibus aliquot caducis & vacuis, vel ab Henrico ejus nominis quinto, vel ab ejus successore, LOTHARIO, Saxone, quondam multorû nominum Cæsaribus, ex gratiâ, impetratis, confedisce, colligamus, & certò credamus, haud parum confirmante nostras has conjecturas & opiniones, partim operâ multâ & fidelitate singulari, quam tribus præsertim domibus illustrissimis, Austriacæ videlicet, Saxonicæ ac Brandenburgicæ, per integros propemodùm annos trecentos, nostri nobiles FELICES feliciter præbuerunt, quemadmodum hac de re infra viderimus: partim confirmante nostras has conjecturas gubernatione submissâ RUTHENORUM, Dominorum illustrium, imò quoq; generosorum, qui, (ut temporibus illis) tractus Vodlandici portionem inferiorem, non ut hæredes, nec ut Domini: sed duntaxat ut Præfecti,



Quo tempore ad Barones RUTHENOS delata sit Vodlandia possessio hæreditaria.

Enodatio quæstionis, utrū nostratum FELICIUM majores cum Marchionibus Brandeburgicis, ex Italiâ, in Germaniâ, uno & eodem tempore, sint translati, & postmodum eorum Consilarii, pro unius & ejusdem Patriæ ratione, facti.

ut ministri Imperii Romani, obtinebant, delatâ demùm in eos hujus tractus possessione hæreditariâ, circiter annum CHRISTI millesimum, ducentessimum, tricesimum secundū, ex beneficio, gratiâ, & concessione FRIDERICI ejus nominis secundi, Imperatoris omnium seculorum memoriâ celebrandi.

Hic scitu atq; explicatu dignissima quæstio prius diluenda occurrit, quàm huic loco colophon addatur. Sunt enim dubio procul, qui his omnibus, quæ jam recitavimus, cognitis, ac *di' anglicis* pensitatis, edoceri cupiant, num, quia nostrates FELICES tam longissimo intervallo *Principibus & Marchionibus Brandeburgicis*, qui (ut hæc *ἐν τῷ ἀποδῶ* attingam) *origine sunt COLUMNII Romani, vel, ut alii arbitrantur & conjiciunt, Guelphi Bavari*, (quavis utraq; origo præstantissimis quibusq; historicis videatur una & eadē esse, utriusq; gentis insignibus ultrò citròq; collatis, imò etiam aliis veritati historicæ consentaneis conjecturis observatis) suas ipsorum operas assiduas dederint, num, inquam, eos cū Principibus modò dictis, uno & eodem temporis vestigio, Româ exiisse, atq; postmodò, pro unius & ejusdem patriæ ratione, eorum ministros & Consilia-

rios,

rios, præ cæteris, fuisse factos, omninò sit statuendum: ego verò sic statuerim, dixerim, crediderim: salvo tamen cuiusq; iudicio faniori, ad quod meam hanc *διάκρισιν* relatam velim. Nam nusquam hoc, quod ego sciam, scriptum extat: ac illo nomine argenti (ut liceat mihi *παρομιάζεσθαι*) fontes loqui nullus ausim, ita ut, quicquid ego statuero, dixerò, credidero, id protinus, velut Apollinis oraculum, ab aliis statui, dici, credi, suspici & approbari cupiam. Quid? num eum è vestigio iudicemus dignū, qui vel *σευολογείν*, vel Cornicum more cornicari, vel dictu, memoratu & auditu incredibilia dixisse arguatur, si veritati historicæ cōsentientes atq; respondentes conjecturas profiteatur & afferat? Intelligo, quid ego, non ut Oedipus, sed ut Davus, perhibeam & loquar. Hæc, de quarundam familiarum nobilium Romanarū abitu & discessu, ex Italiâ, in Germaniâ, sic evenisse & accidisse, vel manifestissimū erit historias Imperii Romani diligenter ponderaturis.

Et tantum habeat lector benevolus, ad locū secundum: nunc ad aliam pensi nostri partem progredimur, de variis vitæ generibꝰ, quæ, Rectore & Ductore Spiritu Sancto, sibi nostrates nobiles FELICES hæctenus cōstituere, tractatum.

III.
Varia vitæ
genera.

I.
Pontifices
Romani.

Nazianzenus
de Juliano:
O quantam
pestem Mo-
narchia Ro-
mana nunc
alio?

ET enim familiæ hujus FELICIANÆ ho-
nores, dignitates, ornamenta: item existi-
matio & auctoritas, non minus in Vodlandiâ,
atq; in Italiâ, fato divino, semper sunt tantope-
re progressi, ut ejus stirpis Conditor, & hujus
posteris, ad cœlum usq;, fuerint sublatis, profe-
ctis indè omnis generis viris amplissimis & cla-
rissimis, ad omnia summa natis.

Ex hac enim familiâ celeberrimâ, velut
ex equo Trojano, prodiere primò Pontifices
quinq;, dicti FELICES: horum primus,
anno Christi ducentesimo, sexagesimo quar-
to, Imperatore Gallieno, qui, perinde ut ovum
ovo, lac lacti, aqua aquæ sunt similia, ita
cum Nerone & Domitiano, Cæsaribus, fuit
ejusdem voluptatis, ejusdem tyrannidis: alter
verò, circiter annum Christi trecentesimo,
quingagesimum tertium, Juliano Cæfare,
& (si Nazianzenum audimus) homine homi-
num, quos unquam terra sustinuit, pessimo
ac perditissimo, ad Pontificatum accessere, id
Eusebio atq; Socrate referentibus. Cæteri
verò Felices tres, videlicet ejus nominis tertius,
quartus & quintus, Pontificatū adiēre & obiē-
re, Aureliano, Justino seniore, & Alberto Au-
striaco, Imperatoribus.

Esti

Etsi verò Pontificibus Romanis nomina alia solent arrogari & indi, prioribus nominibus propriis ablatis: proinde, quòd genere prædicti Pontifices à veteri, eaq; summâ FELICIUM profapiâ sint oriundi, nomine Felicis suppositio, ad Calendas Græcas (ut dici solet) probabitur: quia tamen modò dicti Pontifices FELICES fuerunt patriâ Romani: eos iccirco Fabio- rum & Felicium domos nobiles nullo prorsus gradu contigisse, nec istis vel sanguine, vel cognatione, vel propinquitate, vel affinitate co- hæsisse: id verò constanter pernegamus.

Sed contra nominibus supposititiis Felices prædictos quamobrè inclamemus, non est: si- quidem nominũ mutatio (ut nobis hanc rem narrat Platina) demum fieri cœpta est, Pontifice Sergio, ejus nominis secundo, qui, ex Pontificibus nomen suum primus mutavit, ad id faciendũ nominis sui deformitate, quòd os porci voca- retur, coactus. Hic Sergius seculis aliquot tar- dius, quàm Felices ad unũ omnes, excepto Feli- ce, ejus nominis quinto, interiit: interiit siquidẽ anno CHRISTI octingentesimo, quadagesimo sexto: è diverso, Felice ejus nominis quarto ci- tius multò vivis exempto, videlicet, circiter annum Christi quingentesimum tricesimum.

Obiectio.

Solutio.

Solutio alia,
& ea firmior.

Sergius mu-
tationem no-
minum Papa-
rum primus
invexit.

Ex.

Pontifices
Romani sua
ipforum no-
mina propria
mutârunt: sed
non omnes.

Ex quo tum Felicium, Pontificum, nomen nō supposititium, non commentitium, non fictitium: sed proprium, sed verum: tum mutandorum nominum initium à Sergio successoribus (quamvis ejusmodi mutatio non fuerit ab omnibus ad unguem observata) fuisse datum, planè & omninò constat.

2.
Præfecti.

Deindè ex hac FELICIUM familiâ profecti sunt olim regionum & provinciarum maximarum Gubernatores & Moderatores, qui, Cæsarum Romanorum, & postea Germanicorum aliquot temporibus, usitato nomine Præfecti nuncupari obtinuêre: quemadmodum à Romanis occupata Judæa Præfectum quendam, nomine FELICEM, à Claudio, Cæsare illuc missum, habuit: id Lucâ, Evangelistâ: item Josepho, Eusebio, & Cornelio Tacito contestantibus.

3.
Gradus Fe-
licium Vod-
landico-
rum varii.

Quid, quòd hi nobiles Romani, tam Romæ, quàm apud Romani Imperii Cæsares, Electores, & Principes, in existimatione, pretio & honoribus fuêre tantis, ut hætenus, ex dignitatibus amplissimis, nominari potuerit nulla, ad quem Felices nostros DEUS altissimus noluerit provectos ac evectos?

Ex hac

Ex hac enim lineæ Sachfengrunianæ profa-
piâ Felicianâ profluxere maximæ auctoritatis
& existimationis viri, qui in amplissimis digni-
tatum gradibus locari se sunt passi: partim eo-
rum quibusdam operas suas, salutis subditorum
consulendo fideliter exhibentibus & præstan-
tibus vel potentissimis Imperatoribus, ut Ma-
ximiliano primo, Carolo quinto, & hujus
fratri, Ferdinando: vel Regibus Bohemicis, ut
Ulislao: vel Electoribus Palatinis, ut Ottoni
Heinrico, & Friderico: vel Electoribus Saxoni-
cis, ut Friderico, Joanni, & Joanni Friderico:
partim eorum nonnullis administrantibus
Præfecturas augustissimas vel Electorum Pa-
latinatus, ut Friderici: vel Electorum Saxonix,
ut *Friderici, Joannis, Joannis Friderici, & Au-
gusti, nomine & re augusti*: vel Principum Pala-
tinorum, ut Joannis Casimiri, Ruperti, Ottonis
Heinrici, & Philippi: vel Marchionum Bran-
deburgicorum, ut Friderici, & ejus filiorum
duorum, Joannis, videlicet, & Friderici: item
Casimiri, Georgii, Friderici, Sigismundi, & Al-
berti: horum ultimus, ob fortitudinem heroi-
cam, & rerum bellicarum magnitudinem, Achil-
les Germanicus dici meruit: partim eorum ali-
quot ministrantibus Romano Imperio, &

1.
Consilarii.

2.
Capitanei.

Augustus,
Princeps &
Electo ille
Saxonix, no-
mine & re
Augustus, ob-
it anno Chri-
sti: 1586.

3.
Assessores
Camerae im-
perialis.

F

quidem



Ludovicus
Marquardus
Felix, Asef-
for Cameræ
imperialis, &
vel maxima-
rum rerum
gestarum lau-
de non infe-
rior, quam
Pater.

4.
Cancellarii
Brandebur-
gici.

Initia tem-
plorum duo-
rum, in oppi-
dulo Schwert-
zebach, & ad
jacente pago
Firba.

quidē in Camerâ Imperiali, quæ est Spiræ Ne-
metum: quemadmodū ibidem quidā vel ma-
gnæ dignitatis, existimationis & opinionis no-
bilis, ex hac antiquissimâ FELICIUM profapiâ
prognatus & oriūsus, nomine LUDOVICUS
MARQUARDUS, adhuc Asefsores excel-
lentissimū agit, quem gradum, quā dignitatem
eandem ipsius Parens, nobilis quondam cū pri-
mis celeberrimus, & longè meritissimus, piæ &
sanctæ memoriæ, nomine MELCHIOR, sūmo
cū honore, summā item cū laude, ad annos be-
nè multos, obtinuerat & defenderat: partim
novissimè eorū quodam, videlicet, *magnificen-
tissimo & nobilissimo viro, Domino URBANO
CASPARO FELICE, Possessore trium locorum
prestantissimorum, scilicet, Kurbitz, Firba, &
Schwertzebach (quæ loca Plavia & Curia, urbib⁹
notissimis, circumjecta, ab Elistro & Salâ, fluviiis
insignibus, alluuntur) imò quoq; Fundatore trium
novorū, neq; modò novorū, verū etiam magni-
ficè & splendide ornatorū templorum, nempe Cur-
bizensis, Schwerzebachensis, & Firbensis, jã verò
Cancellarii munus, apud CHRISTIANUM,
Principem illustrissimum & celsissimum, nec non
Marchionē Brandenburgicū & c. eximiè ac magni-
ficè obeunte*: sed de hujus viri latè longe q; dif-

fufis

fufis laudib⁹ & dignitatib⁹, nihil attinet, me, hoc loco, cætera persequi, cū, hac de re, paulò post, ad arbitriū & nutum lectoris candidi, sim facturus verba, & ita sim facturus verba, ut neq; verā laudē ei hac descriptione nostrā ademisse, neq; falsam (quod absit) affinxisse videamur: di-
verfas enim epulas uno misu apponere vereor.

Harum functionū omnium, & id genus aliarum multarum terminus, supputatis singulorū FELICIUM delegatis provinciis, in Germaniā duntaxat administratis, ad annorum seriem, ultra annos fermè trecentos, extenditur, ita ut, intra hoc amplissimum temporis spatium, ex hac celeberrimā lineæ Sachsegrunianæ profapia Felicianā, nullus in hanc lucem unquam provenerit, cujus operā, cujus auxiliis, cujus consiliis, ad gerendas res maximas, quēpiam, vel de Cæsaribus Romani Imperii, vel de Regibus Bohemicis, vel de Electoribus Palatinis & Saxonis, vel de Principibus Germaniæ ferè plerisq;, uti puduerit & piguerit.

In hac autem familiā FELICIANA, superiori tempestate, vel maximè claruisse visi sunt non pietate, sapientiā, & rerum gravissimarū experiētiā solū, sed & auctoritate, ac existimatione incredibili, apud Cæsares,

Quandiu Cæsaribus, Electoribus & Principibus Germaniæ suas ipsorum, operas exhibuerint Felices Vodlandici.

Quinam Felices Vodlandici, memoriā superiori, vel maximè claruerint.

Provinciae illustres, administratae à Philippo Felice, nobili celeberrimo.

1.

2.

3.

4.

Reges, Electores, Principes, & urbes Germaniae imperiales, *præ cæteris, duo, videlicet, PHILIPPUS & FABIANUS, ambo quondam duorum illorum patriorum atq; avitorum antiquissimorum Feudorum in Sachsgrun, & Regnardilosa Possesores, publicæ famæ præconio longè dignissimi*: siquidem ille provinciis quàm plurimis, iisq; gravibus ac duris, sed tamen illustribus, maximâ virtutum omnium fama præfuit, ejus opem, ejus auxilium, ejus fidem non exquirentibus ac exposcentibus, dico, sed implorantibus, sollicitantibus, &, cum totius Germaniæ fructu immortalis, usurpantibus, partim ULADISLAO, Rege Bohemiæ, & Bohemici regni statibus: partim RUPERTO, Principe Palatino quo & quanto? in administrandis Præfecturis duabus, Flösenburgicâ videlicet, & Neoburgicâ: partim GEORGIO & FRIDERICO, Marchionibus Brandeburgicis, ac Principibus, Principibus Græciæ paribus, justitiâ verò, pietate, religione & fide etiâ superioribus, ad suscipiendas partes Præfecti territorii in Stein, Magistri aulae, Consilarii, & Capitanei CURIAE, oppido, in hac viciniâ, præclarissimo: partim FRIDERICO & JOANNE, Ducibus ac Electoribus Saxoniae, imò

quoq;

quoq; Principibus, perpetuâ & constanti voluntate, in Rempublicam Lutheranam, vel maximè conspicuis, in capessendis muniis *Capitanei, urbium Misenensium, Cygneæ & Weidæ*: item Consilarii, Legati, atq; Oratoris privilegiorum Saxoniorum, pacis, bellorum, & induciarum notabilium, in septem comitiis, Norimbergæ, Eslingæ, Augustæ Vindelicorum, Spiræ, & Ratisbonæ, ante centum annos, à Carolo quinto habitis: partim proceribus Romani Imperii, ad obeundum legationem difficilimam, ne dicam periculofam, *Viennæ, claro Austriae oppido, & jam, ob aulam imperatoriam Imperatoris FERDINANDI secundi celebri, inclyto & illustri*, de cohibendi & reprimendi Turcicas impressiones creberrimas ibidē aperiendâ viâ: quemadmodum nemo fuerit, opinor, quin hæc omnia pro certis habenda putet, nactus vel maximè copiam videndi, sive potiùs pervolutandi Comitiorum enumeratorū sententias ac decreta, Comitiorum enumeratorum sententias ac decreta dico? imò verò Cæsarum, Regum, Electorum & Principum supradictorum literas ac testimonia gravissima, quæ vel publicâ custodiâ & fide Romani imperii continentur, vel sunt adhuc præ abne-

5.

6.



Munera sus-
cepta & ad-
ministrata à
Fabiano Feli-
ce, apprimè
nobili.

Hauboldus
ab Einsiedel,
& Guntherus
à Bunâ, equi-
tes aurati.

5.
Milites stre-
nui.

potum manibus: hic verò Friderico, Electori Saxonico, fuit à consiliis secretis, ipsiq; , præ cæteris Consiliariis, carissimus ac jucundissimus, utpote quo frequenter utebatur, in expediendis negotiis difficilibus, & obeundis legationib⁹ gravissimis, ipsius fide & sapiētiae divinitus concessis dotibus naturalibus adductus: sicut ipse, ad edictum & jussum clementissimū Electoris prænominati, Legatum egit, anno, supra mille-
simū, quingentesimū, decimo nono, Hauboldo ab Einsiedel, & Gunthero à Bunâ, ambob⁹ equitum auratorum titulo claris & inclytis, in hac legatione, ipsius Collegis factis, ad auferendum à Carolo Miltitio, nuntio Romano, Rosam consecratā, quam Leo decimus, Pontifex Romanus, Friderico, Electori, dono miserat.

Ex hac insuper profapiā Felicianā, non viri, justitiæ & administrationis fidelissimæ tantum: sed etiam rerum bellicarum & disciplinæ militaris gloriā clarissimi sunt producti: quippe prædictus parens, PHILIPPUS, vir optimus, ac sūmā pietatis, eloquentiæ & prudētiae, itémq; gravitatis, virtutum ac factorū insigniū laude florentissimus, (ut, ex multis exemplis, vel unicum duntaxat allegemus) reliquit filium, nomine *Sigismundum, Parentem lauda-*

tissimum

tissimum Domini Melchioris, pia memoria, &
avum Domini Ludovici Marquardi, ambo-
rum, in Camerâ imperiali, multis prudentiâ &
rerum gestarum memorabilium nominibus sus-
piciendorum atq; venerandorum Assessorum,
 quemadmodû de ambobus supra habuimus
 mentionem: hic, post celebratas nuptias, an-
 no, horrido, aspero, duro Rusticorum Germa-
 nicorum seditionibus, cum pietatis, & aliarum
 virtutum nobilium laudibus conspicuâ filiâ
Domini Guntheri à Bunâ, equitis aurati clari-
tudine ac splendore gloriosi & insignis, sibi
 passus est à Friderico, & hujus filiis duobus,
 Joanne videlicet, & Friderico: item à Casi-
 miro, Principibus & Marchionibus Brande-
 burgicis, Præfecturarum aliquot durissima-
 rum imponi partes, ex quarum administra-
 tionibus, præmiis debitis ablatis, militiæ no-
 men dedit, eum prædicto Casimiro, Principe
 & Marchione Brandenburgico, in expeditiones
 quinquennales educente: quarum duæ, ad ex-
 pellendum Ducem Wirtembergicum, tertia,
 ad comprimendas Rusticorum Germanicorû
 seditiones, quarta, ad sublevandum auxilio
 Ducem Borussiae, & ultima, ad repellendos
 Turcas aditu Germaniæ, fuerant incitatae.

Seditio Rusti-
 corum, in
 Germaniâ,
 anno 1525:
 haud abîmi-
 lis illi, quæ
 commota fuit
 in Austriâ, an-
 no 1626.

Harum



Pericula ex-
hausta à Si-
gismundo
Felice, in mi-
litiâ.

Quibus pro-
vinciis præ-
fuerit Sigis-
mundus Fe-
lix, relictâ
militiâ.

Variae

Ex Sigismun-
do nati sunt
& orti duo
Camerae im-
perialis Affes-
sores clarissi-
mi, videlicet

Harum expeditionum ultima fuit huic Si-
gismundo, viro, in paulò antè significatis præ-
liis, vel maximè strenuo, omnium & quæ pu-
gnæ videbantur exigere, artificii, periculofior
& gravior, propterea, quòd, in Ungariâ, captus,
bonorum omnium naufragia fuisset passus,
hoste ipsum ad redimendum cogente & pro-
trudente: ex qua tamen captivitate, sufficienti
redemptione prius factâ, liberatus, ad hono-
res, prioribus majores, evehitur, utentibus ejus
ope atq; ministerio, præter Ottonem Heinri-
cum, Electorem Palatinatus, aliquot Marchio-
nibus Brandeburgicis, ad Consilarii, Capita-
nei, Judicis provincialis, Beierreudii, Weidæ,
claris Marchionatus Brandeburgici superio-
ris, & Palatinatus oppidis: item Barcksteinii, in
Selb & Thierstein: imò etiam dignitatis Burg-
graviatus, in Janerbiorum ditone, & arce Ro-
tenbergicâ, provincias illustres obeundas: ex
quibus tandem dignitatibus quibuscunq; lau-
dem sempiternam consecutus, morte immi-
nente ac impendente, vitam suam, in agnitio-
ne, confessione, & invocatione nominis JESU
CHRISTI continuâ & seriâ, deposuit. Hujus
filius *ὁμοῦθης*, nomine MELCHIOR, fa-
mâ simul & rebus gestis (quemadmodum ex

supra-

supradictis constat) fuit nobilior & clarior, quàm ut unquam aut intercidere, aut ejus laudes à me dignè prædicari, vel potius decantari queant.

Præterea gentis suæ gloriam & amplitudinem non parum amplificavit & conservavit *magnificentissimus & nobilissimus Vir, Dominus URBANUS CASPARUS FELIX, in Kurbitz, Firba & Schwertzebach, Vir ab omni laude felicior, imò etiam animo res arduas suscipiendi & fide perficiendi nulli majorum inferior:* quippe quem hucusq; suis ipsius majoribus & antecessoribus, honorum & dignitatum gradibus parem fieri voluit DEUS optimus maximus, dum illustrissimi & celsissimi Principis Brandenburgici CHRISTIANI &c. memoriam verè Christianam, ad præteritorum officiorum & servitiorum, à gente Felicianâ celeberrimâ domui Brandenburgicæ, per aliquot ætates, præstitorum, cogitationem, excitavit, ut is, omnia sibi, in suâ ipsius aulâ, in suis ipsius ditionibus, ex animi celsissimi decreto, tanquam à Jovè nato, (ut hoc verbo utar) successura non modò, absq; omni dubio, crederet, FELICE hoc nostro ad dignitates æquè ac honores primarios, in Marchionatu superiori,

Melchior & Ludovicus Marquardus: quorum iste nepos ex filio, suâ ipsius dignitate adhuc egregiè fungitur: ille verò filius dudum, ex hac vitâ, in alteram, & eam beatam, migravit.

Honores & dignitates præcipuæ Domini Urbani Caspari Felicis, Cancellarii.

evecto, perducto, promotio: sed & speraret, futurū, ut, hoc nostro Felice Romano Vodlādico, cum is fiduciam fidei vel maximæ præse latur⁹ videretur, ad onera muniōrū durissimorū, videlicet, Consiliarii, Præsidis iudicii provincialis, Prætoris provincialis, τὸ πρόβελος, & συνεδρίας Directoris, & Cancellarii subeundum, vocato, suis ipsius votis exitus responderet: ubi sanè hic noster FELIX magnificentissimus omnes hucusq; de se cōceptas spes vicit officiis, vicit curis, vicit studiis, vicit laborib⁹, vicit fide optimâ, ita ut, omniū rectè & dextrè sentientium iudicio, meritis sit ornari præconio, quod olim senatus Roman⁹ Flavio Claudio, Imperatori, tribuisse fertur ac legitur his verbis: *Claudi Anguste, tu frater, tu Pater, tu amicus, tu bonus Senator, &c.*

6.
Equites
aurati.

Porro FELICIBUS ad virtutes naturâ valentioribus, antè alios, nihil unquam prius, nihil unquam posterius fuisse, quàm ut sibi gloriam immortalem, apud posteros, non malè, sed benè faciendo: non magnò emendo, sed magna agendo: non de honestis factis majorum gloriando, sed honesta facta majorum imitando conciliarent, nullus utiq; dubitare, vel potius negare aulit, nisi nescius & ignarus titulorum & honorum haud vulgarium, ad quos rerum omnium Moderator eos, præ aliis, evectos &

provectos

profectos voluit, ejus hortatu, instinctu, impulsu FELICIBUS quinque, summæ dignitatis, summæ auctoritatis, summæ item gratiæ viris, in equitum auratorum sedem atque dignitatem, annis longè antè multis, feliciter ascendentes, nempe, MAURITIO, in Trewen: PHILIPPO, (de quo paulò antè, plus satis) & HEINRICO, in Sachsgrün: item JUSTO & JOHANNI, in Seiltsch & Heinersgrün: qui ad unum omnes, annis abhinc benè multis, in CHRISTO placidè obdormière, ex luctuosâ hac miseriarum valle liberati & erepti, vel dicam etiam, quantum ad eorum animas beatas, in cœlum suscepti.

Colophonis loco, pauca hîc monenda sunt, de duobus FELICIBUS, quorum honorificè meminère, sed tamen, citra eorum originis & ortus mentionem, Socrates, Scholasticus, & Theodoritus, Episcopus Cyrensis: horum alter consulatum Constantinopoli, urbe Thraciæ satis insigni, imò potiùs, propter Turcici Cæsaris aulam & domicilium, nobilissimâ, gesserit, eo ipso tēpore, quo Nestorius, nostræ Ecclesiæ, nostri fundi calamitas, in Episcopum electus & confirmatus fuit: alter verò thesauri Imperialis quæsturâ, tempore Constantini, illius

7.
Consules &
quæstores.



ætatis omnium nobilissimi & clarissimi Cæsaris, obtinuerit. Sed utrum hi Felices ex nobili Felicium prosapia Romanâ geniti sint & orti, hoc nostros illos fugit historicos, tantû abest, ut me non fugiat; nisi mihi statuere sit liberum, eos, tanquam nobiles Romanos, vel bellorum furore ac multitudine, vel persecutionis Pontificiæ crudelitate insatiabili percitos & fractos, cum Thracibus vivere & habitare oportuisse, sedibus patriis relictis: id quod est credibile, tantû abest, ut à fide historicâ sit alienum.

Vel bellorum, vel aliarum opportunitatum fatalium occasione transferruntur nobiles familiæ.

Translocatio quorundam nobiliû Vodlandicorum à Tetta, in Borussiam.

IV.
Mores &
studia.

Multæ enim nominum celeberrimorum familiæ sunt, seculis superioribus, ex Vodlandiâ, Saxoniâ, & Misniâ, in regiones & provincias alias, vel gubernationis causâ, vel bellorum occasionibus deportatæ: cui rei testimonio sunt exempla cujusdam *Comitis Mansfeldici, & quorundam nobilium à Tetta*, qui, desertis avitis sedibus, sedes ac domicilia sua, in Hispaniâ & Borussiâ, memoriâ superiori, collocare ceperunt, vel per bella, vel per id genus alias opportunitates fatales, illuc delati.

Sed hæc, de variis vitæ nobilium Felicium generibus, dicta sufficiant: venio ad quarti loci tractationem, ubi nobis, de nobilium Felicium moribus & studiis, dicendum erit.

Etenim



ET enim naturæ, mores & ingenia gentis hujus nobilissimæ veniunt considerandi, sicut & Homerus, fons (quod elogium illi tribuit Plinius) ingeniorum primus, doctrinarum & antiquitatis parens, monuit, dum ab Ulysse non urbes multas visas solum: sed quoq; judicia & mores populorum cognitos fuisse, scribit. Exemplis enim homines, de rebus multis & magnis, commonefieri, testatur Polybius, erumpens in hæc verba gravissima, quæ ad litteram subjicere placet: *Historiæ cognitio est verissima institutio, & præparatio ad actiones politicas, & illustris magistra ad perferendas fortune vices.*

Quid verò de Felicium moribus & studiis egregiis, referri oporteat aliud, nisi quòd, in ipsis, pietas vera, humilitas vera, prudentia vera, cum favore, erga subditos, spectatissimo, cum propensâ & benignâ, erga studia religionis & honestatis, voluntate, conjuncta, se, per numeros omnes, omnibus palàm ostendunt, ita ut illo nomine mihi videantur dignissimi, in quos elogium, Mysi delatum ab Homero, Pœtâ (ut Gellius & Apulejus arbitrantur) multis, qui genti Mysorum & justiciam, & tempe-

Mysi sunt
justi, tempe-
rantes & ve-
races.



rantiam, & veracitatem tribuit, propriè atq; verè transferatur?

^{1.}
Pietas in
DEUM.

Et quidem, de Pontificibus duobus supra nominatis, refert Chronicon Papisticum, eos justitiâ & pietate præstitisse ac eminuisse tantâ, ut alter, in honorè Dei, Basilicam quandâ Romæ, de nomine suo, condiderit, & in eâ postmodum, perinde ut martyr, sepeliri voluerit, Arrianis illi martyrii supplicium, ob confessionem, suæ ipsorum cõfessionis contrariâ, afferentibus: uterq; verò leges multas, ad provehendû Ecclesiæ Pontificiæ statû potissimùm pertinentes & facientes, sanxerint: quemadmodû eas, in jure Canonico, cõsignatas & annotatas reperimus.

Quis nostrû hîc vicinix nō meminerit, quàm extiterint veræ religionis, pietatis Christianæ & Ministerii cultores ardētissimi nostrates Felices Vodlandici, ad unû omnes, adeò, ut ne Galatæ quidē impensius faverint Paulo, Apostolo: nō Fridericus, Elector Saxonix, Luthero: non Mæcenas Horatio: non Messala Catullo: nō Pollio Virgilio: non Philippus Macedo Aristoteli: sed nec alius quispiã alii, quàm nostrates Felices cultioris & sincerioris Theologiæ atq; facultatû cæterarû Professoribus quibuscunq; hætenus faverunt, & adhuc, |quantû possunt, quantû in

ipsis

ipsis situm est, favent: ad cuius rei fidem facien-
dam, tēperare mihi nequeo, quo minus vel uni-
cū duntaxat exemplū, videlicet *ADAMI FE-
LICIS, viri illius nobilissimi, Possessoris quondam
Feudorum in Heinersgrun & Weischlitz, felicitis
& sanctæ recordationis*, afferam? Huic enim no-
bili, verè Christiano, atq; *Φιλοδημηγόρω*, Mi-
nistri ac Pastores ovium CHRISTI nunquam nō
fuēre hospites quibuscunq; virorū gratiores &
acceptiores: is siquidem se recreaturus, & mole-
stis animū suum relevaturus, non ludorū, non
cōpotationū, non altercationū, non venationū
cultione, non blasphemiarum, nō obtrectatio-
nū effusione: sed solā piorū Ministrorū invita-
torū præsentia, colloquiis, colloctionibus, cō-
versatione & cōsuetudine familiarissimā, eaq;
creberrimā se vel unicè oblectavit, ita ut, quoad
vixit, Pastores, in hac viciniā, se cōventū cupien-
tes quoscūq; favore suo fulserit, auctoritate suā
defenderit, splendore suo ornaverit, benignitate
suā foverit: imò quoq; fuerit iis, velut anchora
& asylū, haud aliter, ac Pharaonius sacerdotū:
Jonathas Davidis: Ptolomæus Philadelph⁹ ex-
actissimarū politiorūmq; literarum: Trajanus
māsuēdudinis: Alexander Severus integritatis:
Theodosius pietatis, perquā studiosi fuere.

Exemplum
pietatis, erga
Ministerium.

Quin



2.
Constantia
fidei.

In Anthro-
pologiâ lib:
16. fol: 180.

Felicitas
martyr.
Chronicon
papist: fol:
114.

Quin etiam nobilissima stirps Felicianâ Romæ constantiâ & fide notabili claruerit, oportet, cum ibidem quadraginta Felices, ob confessionem veram, ad martyrii supplicium, temporibus diversis, rapti, maluerint, DEO non offenso, luce hac privari, quàm, DEO offenso, vitam temporalem agere: quæ historia apud Raphaëlem Volaterranum legitur.

Inter hos martyres, fuit quædam fœmina, Romæ nata: sed dubio procul à Felicibus oriunda, nomine FELICITAS, & ea quidem animi sanctissimi, pariter & in fide verâ constantissimi matrona: hæc siquidem Romæ, cū septem filiis, de quibus unus ex vero nomine vocabatur Felix, pro fide & religione Christianâ, à qua nullis minis, nullo metu, nullis periculis, nullis suppliciis, quamlibet crudelissimis, abduci, five avelli potuere, martyrii coronam, insigni cum laude, cepisse feruntur: quemadmodum hujus piissimæ matronæ & ejus filiorum perseverantiam, martyria, memoriam Calendariis quibuscunq;, ad decimum diem mensis Julii, quotannis consignatam reperiri, quis nescit?

3.
Justitia.

Actor: 23.
v. 26.

Sic non temerè, sed gravibus de causis, nominatur, in actis Apostolicis, *σάπὲ dictus Ju-
deorum Prasēs, κῆρτις & Φῆλιξ*, hoc est,

præstan-

præstantissimus Felix: nam licet ipse fuerit homo ethnicus: tamen cum *Paulum Apostolum*, captivum humaniter tractet, eumq; à se benignè auditum, ac bonâ pace dimissum, blandè & comiter excipi, ac beneficiis debitis ornari, cupiat ac præcipiat, indè certè est ostentui, eum fuisse virum auctoritate, virum iustitiâ, virum humanitate, virum clementiâ egregium.

Quid de FELICE Papâ, ejus nominis quinto, referam, cujus factorum repetitione ac recordatione nō parum simus consecuturi commoditatis, utilitatis, fructus & voluptatis? ejus certè virtutes, quibus procul excelluisse, vel dicam, eminuisse fuit visus, operæ pretium est non tacendo præterire: sed orando complecti: non minimi facere, sed audire: non reprehendere, sed imitari & admirari. Quid verò egerit & fecerit vel boni, vel laude dignum, quod in nobis admirationem videatur effecturum? nimirum, quòd, sede dignitatis & honoris quinquies mutatâ, (fuit namq; primò Sabaudix Comes, antequam à Sigismundo, Cæsare, Ducis titulum acquireret: deinde pace subditis, bellorum multitudine maceratis, restitutâ, nec non tradito Ducatu filio primoge-

H nito,

4.
ειρηνοποιία
καὶ Φιλο-
πρωχία.

Honores &
dignitates Pa-
pæ Felicis,
ejus nominis
quinti.



Papa Nico-
laus, ejus no-
minis quin-
tus.

Abbas Urs-
pergensis, hi-
storiographus
insignis.

5.
Sapientia,
qua tum Cæ-
saribus Ger-
maniae, tum
Luthero præ-

nito, Monachum egit: postremò à Concilio
Basiliensi ad Pontificatum evehitur, quem, pa-
cis servandæ & sustentandæ gratiâ, rursus spontè
deponit, contentus & usus Cardinalatus titulo
& honore, quoad inter mortales fuit; Pontifi-
cem verò se Papatui imponi patiente Nicolao
ejus nominis quinto) quòd, inquã, sede digni-
tatis & honoris quinquies mutatâ, *ειρηνοποιός*
καὶ φιλόπρωχ & fuisse fertur: id quod expo-
sitione indigere, quis non videat? Equidem
certè (ut ad pauca redeam) *hic Felix*, adhuc Sa-
baudiæ Dux, quodam tempore, à Legatis qui-
busdam, ut iplis, si quos haberet canes venati-
cos, ostenderet, rogatus, sibi uni vel unicum so-
lummodò diem ad deliberandum postulavit,
quo finito, redeuntibus ad se Legatis ingentem
mendicorum unâ discumbentium multitu-
dinem monstrans: *atq; hi, inquit, sunt canes*
mei, quos alo cotidiè, & quibus me cœlestem
gloriam venaturum esse, spero: quemadmo-
dum hujus historiæ meminit Abbas Ursper-
gensis, in suis paralipomenis, & quidem in co-
ronatione sæpè nominati Felicis.

Præterea quæ & quanta, in cæteris FELI-
CIBUS, quorum ministerio commodissi-

imum

num Principibus Imperii Romani Germanicis, iisque potentissimis, hætenus uti visum fuit, eluxerit ingeniorum, eruditionis, industriæ & consiliorum gravitas atque magnitudo, de hoc primùm testantur honorum & dignitatum fastigia, ad quæ FELICES, præ aliis, quantumvis illustrioribus, ascendere voluit DEUS: iterùm de eodem testantur singulorum FELICIUM, in provinciis & Spartis delegatis: in Comitibus, Electorum Saxoniorum loco nominèque petitis: in legationibus gravissimis gestis, præstita fides: tertium de eodem testantur honores verè regii, FELICIBUS multis à Proceribus & Optimatibus quibuscunq; Romani Imperii delati, dati, facti.

Vel hoc quis non credat? si modò cogitet ac expendat honores maximos, quibus olim virum magnificentissimum, & de salute Germaniæ benè meritissimū virum, Dominum PHILIPPUM FELICEM, in *Sachsgrun*, Rex Ferdinandus affecit, Electores Mogūtinus & Saxonicos, item Marchiones Brandenburgicos, in deferendis honoribus, inferiori genere natis, imitatus.

Eum enim ita amavit, ut, præterquam quòd ei copiam ac potestatem sui conveniendi

dita simul & cumulatissima quondam visa fuit gens Felicianæ.

Honores eximii, Philippo Felici à Ferdinando, Cæsare, delati.

liberam, eamq; facilem daret, ipsum præterea Augustæ Vindellicorum, sub comitiorum ibidem à se habitorum finem, mensâ suâ regali communicaret, ac (quod quidem vel maximè stuporem moveat) dignissimum judicaret, qui cum ad deliberationes, in rebus, ad totius Germaniæ salutem ac incolumitatem spectantibus ac valentibus, adhiberetur, tum etiam à se, de factis insignibus, & ex his, cum primis de clade Ungaricâ, qua Ludovicus, Rex, abhinc annos centum, à Turcis occisus, obierat, suis ipsius literis laureatis, ex urbe Lintio, ad eum, eo ipso tempore, in arce Sachsegrunianâ consistentem missis, edoctus moneretur.

Elogia, data Felicibus Vodlandicis à Luthero.

Quid, quod dictu & auditu mirabilius videri debet, quo fato (fato quodam temporum dicam, an fato divino?) contigerit, ut hujus tanti viri auctoritas & existimatio non apud Principes illustrissimos & potentissimos solùm, sed & apud divum Lutherum plurimum valuerint: id quod cuivis affirmare ac probare certius erit, quàm negare ac culpæ, historiâ sequenti cognitâ?

Quodam tempore divus LUTHERUS, coram Electore Saxonie & ejus optimatibus, gratiæ & fidei publicæ, sibi à Carolo quinto,

Impera-

Imperatore ter maximo, datæ, mentionem movebat, & ita, dico, movebat, ut, inter rem istam agendam, ipse fortunæ dubiæ, pariter & odii Pontificii plus quàm Vatiniani & novercalis indignantissimus, ne dicam impatientissimum, suæ ipsius mentis verè heroicæ secreta ore & voce hac liberâ referare & exerere haud dubitaret, quòd non pro suo solius jure, sed vel magis pro communi Reipublicæ Christianæ salute, in quam totâ mente, toto animi impetu incumberet, quâ à suâ ipsius conscientia ad confitendum veritatem, quâ à DEO ad pugnandum pro veritate cœlesti compulsus: quòd item non præ sui ipsius, at negotii, at tutelæ divinæ fiducia, Cæsari Carolo conductû saluum prorsus renuntiare sibi visû esset, cû Pontificii LUTHERANOS cane pejus & angue (quod dicunt) persequerentur, nedum ut, inter eos, alter alteri sorderet: & verò ad hæc vir nobilissimus & sapientissimus, PHILIPPUS FELIX, Electoris Saxonie Consiliarius præcipuus, eruditum non minùs, quàm sapiens calculum, perinde quasi (quod est in proverbiiis) ex tripode & Apollinis oraculo profectum, adjecturus, dicebat: (erat enim ingenio verè felici, benè nato, & intelligenti res difficiles



ἰβυλία.
Bonus dux
bonum red-
dit comitem.

Votum Lu-
theri, ad id fa-
ciendum coa-
cti verbis Phi-
ppi Felicis.

Joannes
Dethlevus,
Jurisconsul-
tus eximius
Plaviae.

atq; subtiles: sermone autem utebatur disertio
& perquam suavi) is igitur dicebat: *Sufficiat
hoc, nisi plus, quam sat sit.* Ubi Lutherus, vir,
inter Theologos orthodoxos, æquè Princeps &
optimus, ut Aquila, inter aves, hæc quidem
pauca, sed tamen consilii & ingenii acutissimi
refertissima verba, exemplo Homeri, Mene-
lao, ceu Lacedæmonio, τὸ λακωνίζειν, hoc
est, breviloquentiam argutam assignantis,
avidè ac bonâ cum veniâ arripiens atq; exci-
piens, tale votum fecerit, dicendo, *concupisce-
re sese, atq; exoptare sese vel amplius nihil,
quam ut Principis sui constantiâ, & Philippi
Felicis sapientiâ singulari divinitus adornatus,
claresceret.*

Quam historiam clarissimus & excellen-
tissimus vir, Dominus Joannes Dethlevus,
Juris utriusq; Doctor, ejusdemq; practicus pri-
marius Plaviae, urbe Vodlandiae principis, ad
aures meas ut retulit, ita hoc loco commemo-
randam duxi.

Ego verò divi Lutheri scripta, in Apollinis
templo collocari digna, legens & legendo per-
currens, video, in iis nostræ gentis Felicianæ ce-
leberrimæ memoriam prodi, simul & proponi
tantam, ut fateri necesse habeam, amorem &

affectio-

affectionē divi Lutheri, in eam, ita fuisse accumulatā, ut ad istā vel addi, vel accedere potuerit nihil, quia is genti huic clarissimæ præconia tribuerit selectissima, dubio procul, quā ipsi⁹ eximiae pietatis in DEUM & ejus Ministeriū, quā illius divinitūs concessorū donorū & ingeniorū egregiorum admiratione incensus & affectus.

Expositurus enim primum versiculum Psalmi centesimi primi, atq; coronidis vice, sua, quæ proposuerat, effata, quasi exemplo specialissimo demonstraturus, digitum ad FABIANUM FELICEM, eo ipso tempore, Johannis Friderici, Electoris Saxonici, cognomento magnanimi, Consiliarium, intendit, publicè commendans, & ore pleniore laudans eum, ab eximiis ingenii, divinitūs concessis, dotibus naturalibus, quòd, videlicet, *ille non arte: sed naturā factus Doctor Jurisconsultus, scopum decidendæ rei cujusdam arduæ, & controversis implicata, citiùs atq; re-ctiùs attingat, quàm alius quidam Juris utriusq; Doctor, qui, rebus controversis se oblaturus, cogatur vel mille folia juris utriusq; evolvere, dubius adhuc ac incertus animi, utrum rem, acu videatur tacturus.*

Cui præconio post subjicit & aliud, quo, haud scio, an gravius, an

præcla-

Cur Lutherus Felicibus optimè cupierit.

Fabianus Felix prudentiæ imago viva, itemq; absolutū exemplar.



præclarius, an laudabilius cuiquam, quantumlibet vivo DEI simulachro, conveniat: illo si quidem adhibito, confitetur ingenuè, & ita quidem confitetur, ut minimè gentium crediturus videatur, unquam fore, ut quis juris naturalis scientiâ & cognitione præditus censeatur, nisi sit vel Naëman, Dux ille Syriae Regis excellentissimus, imò etiam maximus: vel Augustus, Princeps ille terrarum: vel Johannes Fridericus, quæ communis libertatis Germanicæ, quæ veritatis Evangelicæ propugnator & defensor studiosissimus & acerrimus, si quisquam alius: vel Fabianus Felix.

6.
Favor, erga
subditos sin-
gularis.

Utrum sub-
ditos divites,
an verò pau-
peres habere
præstet?

Sæpè quoq; miror, mecum cogitans & reputans verè auream & divinam nobilissimi ac magnificentissimi viri, Domini URBANI CASPARI FELICIS, Cancellarii Brandenburgici cum primis meritissimi, responsionem, quam non ita pridem, de quæstione sequenti, quæsitus & rogatus: *utrum subditos divites, an verò pauperes habere, præstaret*: promptè dabat, suum ipsius animum his verbis aperiens: *se subditos divites habere malle, quàm pauperes: quin potius se optare, ut sui seipso forent subditi ditiores, affluentiores, opulentiores.*

O sapien-

O sapientissimum & literatæ senectutis plenissimum responsum, responsis & oraculis Apollinis longè clarius, ad persuadendum longè concinnius, longè perfectius, longè politius: quid? responsūne dicam, an cantionem cygnæam?

Sed tamen si quis est, qui illud responsum & cantum cygnæum, & eloquentiam Nestoream, & leporem Atticum appellandum putet, ego ejus opinioni non repugnabo: siquidem hoc uno nomine, Cancellarie domi forisque suspiciende, cordis tui generosissimi fores ac flores aperis, & ita, dico, aperis, ut vel cæco appareat, illud quasi igne divini amoris excoctum ardere non tantum ad observandum mandata DEI, seriò præcipientis ac imperantis nihil, nisi ut, pro suâ quisque facultate, proximo nostro, perinde ut nobismet ipsis, beneficiamus, quoquo modo, quoquo tempore, quoquo loco id fieri convenerit & opus fuerit: sed etiam ad subscribendum sententiæ, brevi quidem illi: sed, nî fallor, haud-

Utinam omnes mortales hujus viri

Atheniensis sententiam non scriniis: sed pectori inscriberent suo, ducerentque, non esse lucrum, quod jacturâ bonæ mentis comparetur, neque quicquam esse fructuosum, quod non idem sit honestum: utiq; eorum conatus ad unum omnes succederent ipsis ita, ut optarent. Verum enim verò quis hoc seculo difficilimo, non malit virum & fœminam cum pecuniâ, quàm virum & fœminam absq; pecuniâ: quàm pecuniam absq; viro & fœminâ? Ex quo sanè fit, ut, quia scindatur incertum studia in contraria vulgus: ideo omnia in peius ruant, & retrò sublapsa referantur.

I

quaquam

quaquam infructuosæ *Themistoclis*, viri illius *Atbeniensis*, quanti quanti? qui, nonnullis hoc admodum demirari haud dubitantibus, quod ex procis filix, virum probum diviti longè præferendum censuisset, dixerit, & ita dixerit, ut ipsius oratio non ad corrumpendos; sed ad conformandos hominum mores apposita, vel potiùs commoditatis plurimum allatura videretur: *Malo, inquit, virum, absq; pecuniâ, quàm pecuniam, absq; viro.*

Quapropter nulli credimus, ullum esse, qui nos sit reprehensurus, si referendum atq; reponendum statuamus hunc tantum virum: si, inquam, hunc tantum virum referendum atq; reponendum statuamus, non in DEORUM numero, cujus dignitatis obtinendæ studio incredibile flagrârit olim *Alexander Magnus*, vel magnus tam nominis & famæ celebritate, quàm rebus gestis: nec (quod à nobis procul absit) in τῶν πλεονεκτητῶν communione, quos, perinde ut *Catulæ* dominas, imitatus fuerit *Darius*, olim Rex ille *Perfarum* potentissimus, dum, urgente egestate, *Semiramidis*, *Costæ Nini*, *Regis Assyriorum*, sepulchrum, spe quidem haud falsâ reperiendæ atq; acquirendæ pecuniæ amplissimæ, quanta ejus egestati

sufficeret,

sufficeret, captus ac inflatus: at delusus dolo tituli, qui, monumento reſerato, in altero ſaxi latere incifus, conſtaret his verbis: *Ni vir malus eſſes, & pecuniâ inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moveres*: ſepulchrum, inquam, dolo tituli jam dicti deluſus, fruſtrâ aperiendum curârit: ſed tamen nemo, inquâ, fuerit, qui nos reprehendere auſit, ſi hunc tantum virum in virorum magnanimorum album, qui mittatur, præ cæteris, longè digniſſimum eſſe, putemus, de quibus Princeps & Parens perfectæ latinitatis, Cicero, hunc in modum, vult iudicari: *Maximè admiramur eum, qui pecuniâ non movetur; quod in quo viro perſpectum ſit, hunc dignum ſpectatu arbitramur, quòd eas res ſpernit & negligit, ad quas pleriq; inflammati a viditate rapiuntur.*

Quin ergò nobiles ſunt, deſiniente eodem Cicerone, qui non pecuniam, ſed caritatem civium: non opes, ſed gloriam: non potentiam, ſed virtutem concupiſcant.

Utinam, iterum autem utinam (facere non poſſumus, quin pace lectoris exclamemus) utinam, inquam, has familiæ Felicianæ divini-
tùs conceſſas dotes inſignes, juxtâ ac immenſas

Veri nobiles
qui ſint.

Cur DEUS
de regionum
finibus veram
religionem &
pacem tolli
finat.

mentibus gratis agnosceremus, agnitas ponderaremus, pōderatas prædicaremus: id quod nisi facturi essemus, vel nihil in nobis apparet ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum: nihil, inquam, in nobis apparet incitamenti & calcaris, quo DEUS, pro dilectione piorum, ad ejusmodi vasa & organa plura, Ecclesiis purioribus & rebus humanis salutaria, ex hac familiâ illustri, deinceps donandum commoveretur: imò commoveretur potius ad abripiendos & tollendos, quàm ad donandos & mittendos FELICES: commoveretur potius ad mittendos, quàm ad abripiendos & tollendos INFELICES: commoveretur potius, inquam, DEUS hac ingratitude nostrâ, ut veram religionem & concordiam de finibus nostris tolli, fidem & jura tolli, amicitias tolli, Respublicas tolli pateretur. *Omnes boni (quemadmodum monet Cicero) semper nobilitati favemus, & quia utile est Reipublicæ, nobiles esse homines, dignos majoribus suis, & quia valere debet, apud nos, clarorum hominum senex de republicâ meritorum memoria, etiam mortuorum.*

Hucusq;

Hucusque Cicero, quem, hac in re, flumen aureum benè dictæ sententiæ fudisse, meritissimè dixeris.

Nimis multa de magnis: ad calcem nunc venio.

Mihi autem cogitanti, de narrandis nostræ gentis Felicianæ splendidissimæ rebus perquam felicissimè, juxtà ac saluberrimè gestis, incidit in mentem illud Horatianum:

*Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus, nec imbecillum feroces
Progenerant aquilæ columbam.*

Quibus verbis Poëta docet & ostendit, sic cum creaturis omnibus esse comparatum, ut, virtutum æquè ac vitiorum animi seminibus à Parentibus in sobolem sparsis, qualitatum harmonia & concentus existat ejusmodi, unde conjicere fas sit, tales liberos esse futuros, quales sint Parentes, vel Genitores.

Hoc ita esse, non est, cur longè abeamus, cum nobis sit, præ manibus, nostrum semen FELICIANUM inclytum, in quo, velut in

I 3 speculo,

V.
Res gestæ
Felicium
Romano-
vodlandi-
corum.



speculo, cernere & conspiciari licitum, tam Parentes FELICES, quam eorum sobolem ac posteritatem, inter se, virtutibus & laudibus omnibus fuisse hactenus æquè pares, nullâ unquam varietate, nullâ unquam discrepantiâ, nullâ unquam dissimilitudine virtutum animadversâ.

Res gestæ
Felicium,
Pontificum.

Etenim, quibus in rebus, Pontifices Felices, cum Præfecto Judæorum, excelluerint, non est, quòd multa hoc loco verba faciamus, cum de Pontificum factis, ad nauseam usq;, loquatur jus Canonicum: tantum abest, ut FELICIS, Judæorum Præsidis, facta notatu dignissima, Lucas, in actis Apostolicis, silentio prætereat: quò lectorem benevolum, brevitatis causâ, rejectum volumus. Sed tamen relatu & notatu dignum est, (ut factum unum atque alterum, quo dicti Pontifices sibi, apud posteros, immortalitatem parare haud dubitârunt, intactum ne relinquamus) quòd *Felix ejus nominis tertius*, templorum dedicationes solenniter fieri, præceperit; quod edictum in nostris Ecclesiis reformatis, omni prorsus abjectâ superstitione Papisticâ, hacten-

nus fuit observatum, & adhuc idem obser-
vari, piorum nemo est, quem illud lateat.

Refert insuper Bulla Papistica, *Felice bu-
jus nominis secundo* à Catholicis, in locum Li-
berii, Pontificis, surrogato (Hieronymus con-
tradicit, id non à Catholicis, sed ab Arrianis
factum fuisse, confirmans) schisma pernicio-
sum, Arrianis auctoribus, inter Liberium &
Felicem, extitisse, in quo malorum multo-
rum causa constiterit: siquidem iis, qui à
partibus *ATHANASII, Athanasii, inquam,
orthodoxi & eximii illius Theologi*, steterunt,
cum Liberio in exilium pulsus, & rursus Li-
berio, in honoris & gratiæ locum pristinum,
à Felicis expulsionem, triennio post, per Con-
stantium restituto, consecuta sit persecutio,
bello quantūvis crudelissimo cruentior, præ-
ter Felicem, Presbyteris & Clericis innumeris
miserè necatis & occisis.

Præterea, de Felice, Judæorum Præfecto,
narrat Josephus, quòd, sub ejus imperio, Jero-
solyms extiterint latrones, qui nuncupati sint
Sicarii: hi, de die, suos ad vicinos propè acce-
dentes, nemine idolficiente, mortem non tam
hostibus sibi infensis, quàm aliis innocentibus
accelerârunt,

Fol: 131.

2.
Res gestæ
Præfecti Ju-
dæorum.
Josephus
de bellis Ju-
dæorum
cap: 12.



accelerârint, gladiis, intra vestes, abditis; & postmodum à se furtim occisos, æquè quàm agnati deplorârint & lamentati fuerint: quem diu occultatum dolum, dictu utiq; immanem, Judæi repulsum voluerint: id quod à Felice, certo invento, factum fuit.

3.
Res gestæ
Felicium
Vodlandico-
rum.

Cæterum si quis, de nostrorum *FELICUM Romanovodlandicorum*, τοῖς ἀριστήμοις ἔργοις, hoc est, factis egregiis & illustribus, hoc loco, fusè latèque cupiat erudiri, iste, hoc Sibyllæ operâ, vel Atlante (ut verbis veteribus utar) opus esse, sciat: tanta siquidem sunt eorum facta, ut ea laudibus dignis omnis mei ingenii vis efferre nequeat, nedum ut describere valeat. Ut tamen, hac in re, lectori candido quodammodo satisfiat, compendio jam verba multa ipsi faciam, ostensurus, in *FELICES* nostrates ad unum omnes verissimè quadrare, quod viris magnis *Valerius Flaccus* olim dedisse dicitur & legitur his verbis: *Domi industria: foris justum imperium: animus in consulendo liber: neque delicto, neque libidini obnoxius, illustres & magnos fecere plerosque.*

Undè

Undè cum hæcenus nostrates FELICES VODLANDICI, verè felices, felices, inquam, fuerint, ac, in Romano Imperio, velut stellæ, splenduerint donis divinis, virtutibus, auctoritate & existimatione: splenduerint Magnatum quorumcunq; favore incredibili: splenduerint rebus gestis strenuis, egregiis, arduis, memorabilibus atq; laudabilibus, & si quid aliud magis esse possit, fit, ut satis demirari nequeam, *cur quidam Theologus Silesius, citra delectum ullum, scribere & statuere haud veritus fuerit, nullum magnum Principem debere vocari Philippum, quia id nominis sit Magnatibus ominosum: item nullum ferè legi Philippum, qui cursum habuerit felicem.*

Quod emblemata dubium & incertum mihi uni (quantum ego suspicor) cum illo prorsus congruere videtur, quod *Adamus Tannerus, Jesuita Bavaricus, & homo utinam non impudens, certè quidem non nimis verecundus, adversus Doctorem Ægidium Hunnium, Principem, hujus memoria, Theologorum orthodoxorum, piæ recordationis, in colloquio Ratisbonensi, effutire haud erubuit: Articulum fidei esse, quòd canem secum duxerit Thobias.*

Emblema
dubium, &
anceps.

Adamus Tannerus,
Jesuita
Bavaricus.

Ve nobis miseris, si salus nostra, solo merito Christi fundata, à ductu canis Thobiae quodamodò dependere censetur & credatur: sed non usus veniet spero.

K

Invenias,

Præcisio, cum
ἀποσποφῆ
conjuncta.

Cur Feliciū
Romanovod-
landicorum
res gestæ ad
unum omnes
exactè, accu-
ratè, atque
(quod pro-
verbii loco
dicitur) ad vi-
vum refecari
vel describi
nequeant.

Invenias, opinor, qui non esse injurium, sed omninò magni referre, suspicentur ac autument, ut, ex omni ætatum quarumcunq; memoriâ, singulorum FELICIUM res gestæ, quarum majestate, magnitudine, non autem majestate & magnitudine duntaxat, sed quoq; multitudine laudes atq; memoriam perpetuâ hæctenus, apud Germanos, acquisivêre, loco huic subjicerentur, initio posito ac sumto à soli patrii, quod est Roma, mutatione: quia tamen hoc initio difficilius sit, quàm (ut rem proverbio communi liceat effari) Sibyllæ folia colligere, libellis majorum memorialibus nobis deficientibus: post, ex præteritâ narratione, id vel cæcis ipsis, & in Cimmeriis tenebris (ut ajunt) natis conspiciari promptum: iccirco prætermisâ harum rerum vel maximè manifestarū relatione, *rursus me converto ad Dominum URBANUM CASPARUM FELICEM, Cancellarium celsissimi Principis Brandenburgici, CHRISTIANI &c. longè meritissimum, nec non virum tam summæ, quàm infimæ conditionis hominibus genitum ac natum*, ejus saltem gratias, dignitates & honores, ac eos magnificos atq; præclaros, quibus certè DEUS ter maximus eum hæctenus, præter alios, non minus abundare, quàm

quàm florere voluit, ordine relaturus & expositurus. Non enim est inusitatum, tantum abest, ut historicorum moribus atq; legibus videatur contrarium, si virorum magnorum honores & dignitates memorię sempiternę, ac proinde in hominum manus atq; splendorem dandas curemus: quippe istud, à CHRISTO, Prophetis, Evangelistis & Apostolis nobis discedentib⁹, in more simul & institutis historiographorum profanorū quorumcunq; subindè fuit positum, & id quidem omnibus seculis.

Ego verò de hujus tanti viri dignitatibus & honoribus quid dicam, nisi id, quod negari nec debeat, nec possit? dico, in dignitatibus & honoribus, huic viro tanto (non enim εἰρονεύομεν, nec gratiæ causâ: sed verè, sincerè, & ex animo loquor) paucissimos comparari, neminem anteponi oportere: nam ipse talentum sibi divinitus concreditum non reponi, non obrui: sed palàm locari, palàm conferri, palàm impendi voluit, ac vel maximè nobiliū ferè plerorumq; studuit, auctoritate ductu & nutu solius DEI, ad quem se ultrò cōformavit, ab amore & observatione admonitionis *Platonica*, nō sibi solūm, sed etiā, atq; adeò multò potius DEO & proximo se natum esse, ratus.

Dignitates,
ac res gestae
speciales Do-
mini Urbani
Caspari Feli-
cis, Cancel-
larii Brande-
burgici.

I.
Functiones
speciales sex.

1.
2.
3.
4.
5.

Ipse enim anno, supra millesimum, sexcentiesimum, decimo quarto, præeuntibus vocationibus legitimis, *Consiliarius Brandenburgicus*, & biennio post, *Præses iudicii provincialis*, ac *Prætor Feudalis*, tum paucis annis interjectis, *πρόεδρος*, ac τῶν σουεδρῶν *Director factus*, DEO vocanti paruit, & sibi legitimè delegatas provincias, laude dignissimas, non tantùm promptissimo, obsequentissimo, & in DEUM animo gratissimo, susceptas subiit: sed etiam cum laude magnâ, item cum maximâ justitiæ atq; ἐπιεικείας famâ, ita gessit, ut suo ipsius Principi Brandenburgico, ob summam & ingenuam, in muneribus demandatis, præstitam fidem, velut alter *Josephus* & *Mardocheus*, gratissimus foret, ac illo nomine ipsi videretur dignissimus, cui, *Cancellario Forcello*, ex foro mundano, ad forum & curiam gratiæ & vitæ æternæ migrante, Cancellarii munus augustissimum assignaretur: id quod factum est, anno, supra millesimum, sexcentiesimum, decimo nono. In quo munere

2.
Facta specialia.

Bella Bohemica, à Bohemis, Magistratui pio,

splendidissimo, quanta hætenus justitiæ, quanta pietatis, & quanta miserationis ac opis verè Christianæ specimina, erga subditos Brandenburgicos, dederit, bellis domesticis,

finiti-

finitimis, spatiosis, creperis, & ultra terminum consuetum, extensis, atq; solito magis (proh dolor) gliscentibus, tum, per ea, hucusq; subditis Brandeburgicis ad infortunia & plagas, nescio, quas, pertractis, *id primum testabitur Princeps & Marchio Brandeburgicus celsissimus & verè piissimus, hucusq; de fide, pace & causâ Lutheranâ, si quisquam alius, re & factis optimè meritus*: idem deinde testabuntur omnes subditi Brandeburgici: idem postremò testantur alii viri boni, in hac viciniâ, ingenuè & apertè confitentes, *nisi hic noster FELIX, nobilis Romanus, & Cancellarius Brandeburgicus*, suam ipsius fidem ingenuam, suas ipsius operas strenuas, sua ipsius consilia libera & matura, suas ipsius curas paternas, pro subditis Marchicis, apud Principem suum verè Christianum, interposuisset, revera metuendum fuisse, ne subditi dicti plus toleraturi fuissent detrimenti ac pernicipi, quàm ipsorum vires sustinere valuissent.

Undè nullus erit, opinor, inter homines pios, quin, jam enumeratis, & id genus factis aliis animo integro & illibato nobiscum agitati & revolutis, in sententiam nostram suis

pro Rege semel adoptato, contumacibus, vel potius rebellibus, itémq; ad accendenda bella acerri-
mis, non ita multis antè annis, falso nomine pacis excitata, creârunt & importârunt Marchionati Brandeburgico multa damna, eaq; gravia.

ipsius pedibus sit iturus, ac ingenuè fassurus, *bunc nostrum Cancellarium esse nobilem & virū eum*, qui pauca habeat cum multis communia, plurima verò præcipua & singularia, ac proinde, pro morum elegantissimorū & virtutū maximarum ratione, sibi hæctenus adæquaverit, adhuc adæquet, & deinceps, auctore, ductore & invitatore SPIRITU SANCTO, sit adæquaturus pietate Davidem; prudētiā Josephum; justitiā & æquitate Josuam; misericordiā Thobiam; humanitate ac beneficiā Cornelium & Felicem, suum ipsius agnatum; humilitate Centurionem Capernaiticum; pacis studio Jonathan; & tandem favore ac voluntate, erga Ministerium atq; literatos quoscunque, Obadiam. Postremò hujus tanti viri singulas res gestas hoc loco narrari & describi nec debere, nec opus esse, reor, cum ex jam recitatis virtutibus tantum appareat, *nostrum FELICEM, nobilem Romanum magnificentissimum*, esse factorum maximorum dignitate illustrem ac excellentem, & quidem adeò illustrem & excellentem, ut, ab eorum præstantiā, propemodùm *alter Drusus Germanicus, domi forisque honorandus*, nuncupari mereatur.

Utenim

Ut enim ignem, sine calore, aquam, sine humiditate, & fidem veram, sine operibus bonis, fingere, religio est: ita nunquam iste virtutum multarum splendorem ac famam affectus censebitur, nisi benè agendo & faciendo divulgatus clarescat, *cum omnis virtus (teste, Parente illo perfecta latinitatis, Cicerone) consistat in actione.*

Quin potius si res gestas hujus tanti viri singulas ac universas persequi satagerem, certo temeritatis vitio, quo Gigantes olim fuisse decoloratos, accepimus, haud immeritò veni-rem notandus.

Quapropter huic narrationi meæ moderabor, hîc templi novi structuram, qua toti mundo se hic tantus vir, quasi in speculo, denuò conspiciendum & agnoscendum præbet, solummodò brevibus descripturus, præmissis prius quibusdam succinctis notis, notatu ac scitu dignissimis.

Nomen pagi KURBITZ non est Germanicum, nec latinum, neq; Græcum: sed Henetum, designans colonos veteres, videlicet, Sorabos, qui olim Misniam & Vodlandiam, per annos fermè quadringentos, incoluerunt, antequam Hermunduri & Mysi, inde detrusi,

sedes,

libro I. officio:

Nomen Kurbitz est Henetum.

2.
Antiquitas
templi vete-
ris, apud Kur-
bicenses.

3.
Cur tem-
plum vetus
dirui, & no-
vum extrui
coeptum fue-
rit.

Auctor &
fundator tē-
plorum duo-
rum, in oppi-
dulo Schvver-
tzebach, &
huic conter-
mino ac fini-
timo pago
Firba.

4.
Tempus fun-
damenti po-
siti.

sedes alias quærent. His colonis rursus
extirpatis, & in eorum sedes repositis, partim
colonis veteribus, videlicet, Hermunduris &
Mysis, partim novis colonis, nempe Bavaris,
Francis & Suevis, majoribus nostris, demum
extrui coeptum fuit, in prædicto pago, **Kurbis**,
templum vetus, quod anno **CHRISTI**, su-
pra millesimum, sexcentessimum, vicesimo
quarto, non propter vetustatem ferè quinge-
nariam: sed à metu ruinæ impendentis & pro-
perantis terribili, imò potius periculoso, dirui
& tolli oportuit.

In hujus ruinosi, & ca-
sum, seu potius ruinam, singulis momentis
propemodum minitantis, atq; dejecti templi
sedem antiquam, fuit planè artificiosè con-
structum novum templum, templis novis, in
pagis & locis finitimis, *imò etiam templis novis*
duobus, quæ, in oppidulo Schvvertzebach & ad-
jacente pago Firba, Cancellarius noster magni-
ficentissimus quoq;, abhinc annos paucos, ex amo-
re CHRISTI & ejus verbi, ex voluntate & fa-
vore erga Ministerium propenso, pro suâ solius
copiâ, pro suâ solius impensâ & sumptibus, ex-
trui studuit, nec gratiâ, nec formâ, nec ordine
concinno, nec elegantia politiori, nec magni-
tudine æquabili cedens, ejus fundamento, ad

præmissas

præmissas prius preces consuetas, in veteri loco locari cæpto, anno CHRISTI, supra millesimum, sexcentesimum, vicesimo quarto, die decimo octavo Junii; deinde ejus auctore, fundatore, promotore, & ad ejus structuram atq; perfectionem totalem, sumtuum omnium, non ex debito, sed ex calore pietatis & gratitudinis, erga DEUM, debitæ, datore ac munerario solo, nobilissimo & magnificentissimo viro, Domino URBANO CASPARO FELICE, nobili, quoad originem antiquissimam, eamque veram, Romano, jam verò Cancellario Brandenburgico vel maxime meritissimo.

Hujus igitur templi structura, tota lapidea, solis tegumentis ligneis exceptis, est primum referta loco splendido & magnifico, ad Domini Fundatoris, viri antiquâ virtute, fide, pietate, probitate, bonitate, & ejus liberorum, posterorumq; exequias destinato: est iterum referta altari veteri; sed tamen plurimum renovato & correcto: est præterea referta baptisterio pretioso & turri; his operibus quatuor, cum cæteris, multum habentibus artificii, ad

5.
Auctor &
fundator.

6.
Ornamenta
templi.

L umbi-



umbilicum, sive ad finem perductis, anno, supra millesimum, sexcentessimum, vicelimo sexto, tertio nonarum Decembrium, in quem diem, anno jam dicto, prima Dominica adventus CHRISTI incidit.

7.
Ritus dedicationis.

Et quia hoc die, ex Ecclesiæ primitivæ dispositione & instituto, Ecclesia CHRISTI novum annum, qui vulgò nominatur Ecclesiasticus, auspiciari solet, repetens, ab initio, Evangeliorum usitatorum expositiones: propterea eadem die Dominicâ Fundator nobilissimus, piissimus, atq; magnificentissimus, & hujus sui novi templi dedicationem, vel consecrationem fieri voluit. Unde hoc DEO gratum, & ejus Ecclesiæ salutare templi novi Kurbicensis dedicandi ac inaugurandi opus ceremoniis & pompis splendidissimis, iisque licitis, & ejusmodi actui competentibus, ad Domini FUNDATORIS magnificentissimi votum & dispositionem, Dominicâ prædictâ, in nomine Sacrosanctæ Trinitatis, feliciter inceptum, continuatum ac finitum fuit, habitis, usitata, pervulgata, ac DEO gratissimæ dedicationis ac consecrationis ergò, concionibus duabus, & quidem earum unâ, horis antemeridianis,

à Urmino

à Domino Gabriele Lotbero, Theologiae Licentia-
to, atq; Plaviensium Superattendente clarissimo,
dignissimoq;: alterâ verò, horis pomeridianis, à
Joachimo Friderico Mylio, Pastore Ecclesiae
Kurbizensis ordinario: quibus concionibus
adjectæ fuere preces ardentes, ad DEUM ter-
maximum, à Reverendis cōcionatoribus mo-
dò dictis, cum ipsis pia vota unâ facientibus,
Domino Fundatore, & aliis ad hunc actum in-
vitationis nobilibus, Pastoribus vicinis, aliquot Se-
natoribus, ex Rebus publicis urbium duarum,
nempè Plaviae & Olsnitii, atq; cōvocatis subdi-
tis, quibus, inquam, concionibus adjectæ fuere
preces ad DEUM, primùm pro verbi incorru-
pti, à *divo Lotbero* instaurati, ac verorū Sacra-
mentorum conservatione: deinde pro præsen-
tiâ, gubernatione, auxilio, tutelâ, & benedictio-
ne divinâ: tertium pro ejectione, depulsione,
& ad Orcum relegatione technarum, insidia-
rum, & impressionum Diabolicarum, atque
hæresium quarumcunq;: postremò pro Do-
mini Fundatoris nobilissimi ac magnificentis-
simi, ejus Costæ lectissimæ, sobolis dilectissi-
mæ, atque totius prosapiae Felicianæ celeberr-
mæ prosperitate, simul & salute sempiternâ.

Gabriel Lo-
therus, Super-
attendens ur-
bis Plaviae.



Matthias
Hoë, Doctor
Theologus, in
Theologiâ
propè singu-
laris, & quasi
*περιου-
σης*, idémque
Antistes pri-
marius aulæ
Saxoëlectora-
lis, quæ est
Dresdæ.

Vera & legi-
tima novitias
ædes sacras
dedicandi ra-
tio.

Eheu iniqui-
tatem, hujus
gravissimi &
atrocissimi
temporis.

Et nisi casuum inopinatum quidam te-
nuissent & impedimento fuissent, ad hunc
DEO placitum actum, admodum *Reveren-
dus, nobilis & magnificus vir, Dominus MAT-
THIAS HOË, ab Hoëneck, Doctor Theolo-
gus excellentissimus, idémque Antistes, in aulâ
Electoris Saxonici, primarius*, citra detrectatio-
nem & moram ullam, quemadmodum, se id
facturum, receperat, haud dubiè venisset, ædes
has novitias & eas sanctas non uni sanctorum,
sed uni DEO dedicaturus, simul & ad aggre-
diendum res sacras aditum primum factu-
rus, per concionem unicam atque preces con-
suetas, tanquam per instrumenta, non qui-
dem aliena, sed competentia: non supersti-
tiosa, sed religiosa: non odiosa DEO, sed
apud DEUM vel unicè gratiosa, in templo-
rum novitiorum consecrationibus, sive po-
tius dedicationibus, jam olim adhiberi & usur-
pari solita à gente Lutheranâ, quam, hac tem-
pestate iniquissimâ, ne dicam ulcerosissimâ,
rabie nefariâ, nedum linguis vipereis fatigant
& exagitant *colluvies Calviniana*, plus quàm
Erynnali furore perciti: quod ex communi
hominum nostratium opinione dico, quin

dicere



dicere haud vereor. *In Ecclesiam enim Lutberanam, cœtum DEO carissimum, jam verò etiam gregem paulum oppidò pusillum, (extra chorum, re cogente, jam saltare quidni liceat?) sibilant, & sibilando evomunt: proh DEUM atque hominum fidem: evomunt, inquam, omne acerbitatis suæ virus οἱ ἀχάριτες adversarii, Stentore clamosiores, quasi LUTHERANI, perinde ut Protei, ut Polyphi, ut Cothurni, ut Euripi, ut Vertumni, retractatâ, vel abnegatâ potius Augustanâ confessione, (horresco referens) Papistis ne tantillum quidem amplius cedere mittamus, mittamus dico? quid si quoq; jamdudum miserimus, miserimus dico? quid si quoq; simus porrò missuri? imò verò ne tantillum quidem ipsis unquam cedimus, unquam cessimus, unquam cessuri sumus, in spem indubitatam adducti, fore, DEUS sibi nos constantes, non autē constantes modò, sed & simplices ac sinceros, in retinendâ semel agnitâ veritate: magnanimos, in confitendo ac testificando ingenuè veritatem semel agnitam: intrepidus, in perferendis minarum, maledictorum, persecutionum ac periculorum quorumcunque furoribus, tam*

Lutherani
in simulantur
ἀποστασίας,
nescio, cujus.

Veri, γνήσιοι
& sinceri Lutherani non sunt homines nauici, versipelles & mobiles, qui se subindè in alias atq; alias formas transfigurent, vel ab adversariis quibuscunq; impendentibus ac imminentibus postremis quibusq; veritatem semel agnitâ deserant, dicentes bonum malum, malum bonum: item dulce amarum, amarum dulce. Esa: 5.v.20.

DEUS servabit sibi costū, quālibet exiguum, à quo, ad mūdi jam jam interituri finē usq; laudetur & magnificetur: quēadmodū gemitibus ac suspiriis assiduis & indefinentib9 Christi reditum ad judiciū optamus, optando expetimus, expetendo expectamus.

*Epilogus
votivus.*

herclè certè ut servet, quàm certè nos ipsi soli, velut scopo unico, fidere: quàm certè nos ipsi soli fidendo adhærescere: quàm certè nos ipsi soli adhærescendo acquiescere, ab ovo (quod ajunt) usq; ad mala, perrexerimus. Sed hæc pluribus commemorare nolumus, nolumus, inquam, *μνησινανειν*: nos siquidem in hac umbrâ diutiùs otiari pudet & piget, ut ne juxta id, quod proverbii veteribus dici solet, Camarinam, aut Anagyrim commoturi videamur.

Ad extremum, cum hoc, & cætera duo templa, Schwerzebachicum, videlicet, & Firbianum, *Dominus Fundator nobilissimus, idemq; magnificentissimus*, non ex debito: sed ex sincerâ animi Christiani devotione, singulari in DEUM pietate, in eimq; gratitudine debitâ, pro concessis & acceptis beneficiis innumeris, exædificanda ac erigenda curaverit, in solius DEI ter maximi gloriam sempiternam, & ejus Ecclesiæ ædificationem, emolumentum, incrementum, & salutem æternam, parviductis impendiorum ad assem redditorum copiis prope modum intolerabilibus, rogamus DEUM unum in essentiâ, & trinum in personis, qui est

PATER,

PATER, FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS,
ut bujus piissimi, & de Ecclesiâ JESU Christi,
optimè meriti Domini Fundatoris pietatem &
gratitudinē singularem, in hac mundi senescē-
tis canitie ac vespērâ, ubi quisq; suos patimur
manes, & (ut apparet) nullius tam bona est for-
tuna, de qua satis flebiliter dicere, satis graviter
cōqueri, satis impatiēter vociferari haud queat,
ut bujus, inquam, piissimi, & de Ecclesiâ CHRI-
STI optimè meriti Domini Fundatoris pietatem
& gratitudinē singularem, ex gratiâ, compen-
sare dignetur, primūm operiendo ipsum, præ
periculis, & id genus aliis infortuniis, sub alarū
suarū umbrâ potentissimâ & tutissimâ: iterūm
largiendo ipsi, ejus Costæ, soboli, atq; toti fami-
liæ Felicianæ splendidissimæ ac honoratissimæ
succesus prosperos, honores, pacem, sanita-
tem, præsidia & auxilia, adversus hostes spiri-
tuales ac corporales, præsentissima, atq; vitam
longævam: postremò donando singulis ac
universis Felicibus, nobilibus Romanovodlan-
dicis celeberrimis, iisdemq; antiquissimis, vel
tandem aliquando usuram hujus lucis fato di-
vino deposituris, exitum, ex hoc seculo, plus
aloës, quàm mellis habente, placidissimum,

juxta



juxtâ atque secuturam vitam & beatitudinem æternam. Cui DEO uni & trino gloriâ, gratiâ, honoribus & laudibus *εις αιωνια* habitis, instemus atque pergamus alacres ac læti, orando, supplicando, & DEI clementer audientis animum non alienum, sed æquum: non hostilem, sed amicum: non mobilem, sed constantem: non muliebrem, sed paternum, tum ad inducendum in viam rectam homines, in apostasiam, nescimus, quam prurientes, ac more suum lotarum ad volutabrum luti redeuntes; tum ad discutiendum & comprimendum iliada, lernam, & mare calamitatum corporalium æquè quàm spirituum, flectendo ac frangendo hac

ευχη παθητικη:

Vespera jam venit, nobiscum, CHRISTE, maneto:

Extingui lucem ne patiare tuam.

*Τῷ Θεῷ μόνῳ, εις αιωνα,
δοξα.*

✠*†*

ERRA-

*ERRATA TYPOGRAPHICA PLE-
rag, Lector benevolus, citra ullum tedium, mu-
tes ac corrigas, corrigendi ac mutandi viâ mo-
dog, sequenti subministrato.*

P
A
G
I
N
I
S

9. v. 20. pro quidem, lege, quidam.
12. v. 21. tolle syllabam superfluum CON.
18. v. 3. pro miliare, lege, milliare.
19. v. 13. tollas auctoris instituto vocem alienam *Planth*, incuriâ Ama-
nuentis, nescio cuius adjectam, ut ne hujus operis auctor linum
lino (juxta proverbium vetus) neçtere, hoc est, pugnantia dicere
videar. Hæc enim vox Heneta denotat quidem & locum, in hac
viciniâ, notissimum, pagum videlicet, urbi Cygneæ finitimum;
& nobiles *ὁμωνύμους*, eosque præstantissimos nobilitate fami-
liæ antiquissimæ: sed, quid propriè significet illa vox Heneta
Planth, & utrum illa sit vox *πατρωνυμική*, an verò *ὁμο-
δημική*, illud adhuc ænigmatè Bæotico (ut vulgo dicitur)
perplexius & obscurius est, opinor hujus operis auctor.
22. v. 4. pro supprimamus, lege, supprimamus.
22. versu ultimo, pro exempturus, lege, exempturus.
27. pro vocibus, per 40. annos, in margine positus, substitue, per
400. annos.
29. v. 10. pro an ne, legito, an me.
35. v. 7. pro nullus, legito, nullus.
38. v. 24. pro ad quem, legito, ad quam.



Ad Lectorem
 De Genealogia
 FELITSCHERIANA,
 dicta & producta à

Viro Reverendo & doctissimo,
 D. M. MARTINO PFUNTELIO,
 ELEGIDION

FEILTSCHEROS quisquis FELICI è NOMINE ducit,
 NOMINE in AUSONIIS non-malè cognito
 AGRIS;

Non CORPUS sine pectore habet: nec forte an ille,
 Qui parat è GRAIIS ducere LUMINIBUS,
 FELICIS minus est cerebri. sin tendere contra,
 Et conjecturâ rem stabilire merâ
 Relligio est, sit mellinæ tibi nosse legenti;
 Quod Stirps hac multo stet celebrata die:
 Quod sit ab AURORA, quod VESPERE cognita & ipso,
 Et quibus est AUSTER proximus, & BOREAS;
 ORTUM seu spectes felicem, & TRANSITUM ab ortu,
 FACTAQ; non vanis incluta NOMINIBUS.
 CÆSARIBUS servire VIRIS laus si obtinet, illa
 Hac certè viguit STIRPS generosa diu.
 PRINCIPIBUS si consiliis sua jungere posse,
 Hæc quoq; GENS proprio fixa tenore stetit.
 Hercle PALATINUS tantos miratus agonas,
 Nec non BOIEMI Pesq; Caputq; SOLI:
 SAXONIÆq; DUCES, & quos mea FRANCIA, Seclis
 Non-interruptis, devenerata PATRES:

Ne reliquos

Ne reliquos dicam, quos VIS, sed amica, subegit
 Has GENII vires, & colere INGENII.
 Et quisquam dubitet, si rem, si Corcula spectes,
 Ipsam à Romanâ nomen habere plagâ?
 Quin etiam si non stet res hæc argumentis,
 Non argumenti sat queat esse tibi?
 In DOCTIS nomen profiteri posse vel ipsis,
 Idq; adeo PHOËBO teste, DICEq; DEIS?
 Immò probare suo per ÆQUESTRIA MUNERA more,
 Remq; adeò meritâ constabilire fide?
 Tot nasci fecisse, etiam tot Tempa renasci,
 Publica totq; immò priva, beasse modis?
 Non ego contendo per singula NOMINA ferri;
 Sit licet heic FABIIS laus sua, sitq; aliis;
 Nec non, quos laudum millesima plura pandunt,
 Quosq; PHILIPPEO nomen honore lacit:
 URBANUM rursus CASPARUM heic dicere quis non
 Gestiat è Senibus, gestiat è Pueris;
 Et, quos MUSARUM Cætus veneratur amicans,
 Quos Venus, atq; Themis, quosq; Minerva pro-
 Tot benefacta VIRI; seu forte priora retexas, (bat?
 Sive arbitrari posteriora velis.
 Pluria MUSA vetat. diducunt forsitan ausa,
 Quis meliora DII, dant potiora DEÆ:
 Sat mihi FEILTSCHEROS, famâ super æthera notos,
 Dicere FELICI, dicere & AUSONIO
 NOMINE condignos, si non res clamat in-ante
 Exæquare DEOS, & superare HOMINES.

deproperabat

M. Briccius Cressius, P. L. C.

& Scholæ Hofiens. p. t. Rector.

M 2

Φηλιξ



Φῆλιξ vnd Felix lange Zeit
 Von Heiltsch entlegen waren weit/
 Noch werden sie getragt zusam /
 Alhier / durch ein gelärthen Mann /
 Schau / Leser / was außrichten kan /
 Geschicklichkeit / so Lobesan.

Drumb halt sie aller Ehren wärth /
 Vnd die GDT mit solcher verehrt /
 Besonderlichen die da han /
 Was Zeit gelegt vff *Chronic* schon.

Die Gschicht ein Zeug ist *temporis*,
 Vnd ein Mutter *Veritatis*,
 Wie *Tullius* der Römisch Herr
 In sein Büchern bezeuget mehr.
 Hilff / lieber GDT / das solche Kunst
 Bey der Nachkunfft nit sey umbsonst /
 Sondern neben den andern auch
Florir, vnd bleib im steten brauch /
 Damit man mit derselben schon
 Der künfft'gen Zeit auch rathen kan.

Idem.



A L I U D.

E T GENUS, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,
 Vix ea nostra puto; verè ea nostra puto.
 Vix ea nostra puto, Generis dum degener Hæres
 Indignus patriis moribus ire solet.

Verè

Verè ea nostra puto, quando incluta facta Parentum,
 In bene formatâ Progenie augmen habent.
 Ingens augmen habet Virtus FEILTSCHERIA, divi
 Urbani Genio continuata sui.
 Hinc geminatus Honor. Proavorum Gloria; deinde
 Stemmata quæ propriis adcumulata Bonis.
 Qvale hinc augurium? si quod mortale peribit,
 URBANI nostri Fama perennis erit.

VOTUM.

GOTT mehre fort vnd fort / diß wolgeadelt
 G'schlecht!
 Zu dieser Naig der Welt / do alle Teuffel wü-
 then/
 Thue vns vor aller g'fahr den alten Stamm
 behüten!
 So wird auch werden g'mehrt / dein Göttlich
 Wort vnd Recht.

adpositum

Animo observantissimo

a

M. Josepho Cörbero, P. L. Scholæ
 Hofianæ Collegæ Quarto.

Ad Reverendum & Doctissimum

Dn. Autorem.

PFUNDELI, Tibi tradito talento
 Dum Divæ satagis placere MENTI,
 Quis non adprobet optimum in Patronum,
 Conatum lepidum optumi Clientis?
 Idem Cörberus.

M 3

Ad

A D

Reverendum & præstantissimum
virum, Dn:

M. MARTINUM PFUNTELIUM,
Pastorem dignissimum, juxta
ac fidissimum.

Qui teneras olim mentes, cum laude, do-
cebas,

Et præeras patriæ, Pastor, amice, Scholæ:
Dein WEIDAM, CHRISTO sic fata regente,
profectus,

Explebas simili dexteritate locum.

Post ea NIBRANI munus Pastoris agebas,
Tradita sic fido corde talenta locans.

Nunc sacra Julsdorfii proponens dogmata
verbi,

Sincera servis religionem DEO.

Commoda sunt tua dona Scholis, sunt com-
moda templis:

Doctus ob hæc confert nomina docta
tibi.

Quin quæ voce doces, in lucem, publica, pro-
fers,

Ut multos multâ commoditate juves.

Vivere

Vivere perge DEO, hoc extremo tempore
mundi,

Quo belli turgent omnia plena malis.
Vivere perge DEO, nobiscum & sedulus ora,
Ut redeat pax, hoc, aurea, dante: Vale.

*M. Caspar Schultbesius, Plavien-
sis, Scholæ patriæ Rector.*

FINIS.



*Nobile vincendi genus est PATIENTIA: vincit,
Qui patitur: si vis vincere, disce pati.*

CURIAE VARISCORUM:
Ex officinâ Matthæi Pfeilschmidii, Anno

M. DC. XXVIII.

Venerabili Deo Patri...

...

...

...

...

...

1712

...

...

...

...

MDCXXVIII



Zb 1190

ULB Halle

3

003 587 711



noch nicht verknüpft

VD77

M.C.





H
 RUM
 PATR
 virtutibus
 sed etiam
 no
 EX OP
 riographis
 conquista E
 ad instru
 perti
 M. MA
 Vodlandi
 quoda
 Excusa ty

A.
 NE,
 BUS,
 on modò,
 emoriâ,
 a-
 HISTO-
 neotericis,
 uationum,
 æ notitiâ
 rtis,
 PLAVIENSI,
 e, in pago
 onfinis
 & incar-

